Collegij Soc.tis Jesu SIVE Monachy: libr 8.

# DIALECTICA,

# ARS

# DE QUAVIS RE DISSE-

# RENDI PERIPATETICA,

## NOVA METHODO EX TOPICIS

*& Elenchis concinnata*

AB


AD.m R. P. F. MATTHÆO WEISS,

MONACHO ANDECENSI, ORD. S. BENED.

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE,


Nunc

ALMAE UNIVERSITATIS SALISBUR-

*gensis Rectore Magnifico.*

In gratiam Peripateticæ Juventutis.

*Cum Facultate Superiorum.*


Salisburgi, Ex Typographéo Christophori Ka-

tzenbergeri, Typographi Academici.

ANNO M. DC. XXIIX.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

*REVERENDISSIMO ET ILLU-*
*strißimo*

# PRINCIPI

AC DOMINO

## Dn. JOAN. CHRISTO-PHORO, EX COMITIBUS A LIECHTENSTEIN, LIBERO BARONI A CASTELKORN, & Domino in Schenna, &c.

# EPISCOPO CHIEMENSI, DOMINO

## Dn. CLEMENTISSIMO.

ALTER HIC PARTVS MEVS, timidè omninoin lucem prodit, ac pęnè invitus domo extruditur, Reverendiſſime & Illuſtriſſime Princeps, Nam Peripateticum *Organum* Commentationibus illuſtratum dare, multò erat fortaſſe promptius, atque ab obtrectatione remotius, quando in tanta Exege-

seôn copia, infantissimus quisq; aliquid mussare potest, & soli sui sterilitatem, alienis inventis, pulcherrimè adjuvare. At verò, qui nostro Ordine ac Methodo, paucis cognitos *Topicorum* libros, ad facilem intelligentiam, & similitudinem artis, instrueret, an quisquam fuerit, nec velim, nec, si velim, dicere possim; ut timendum sit, ne vel præfidentiâ elatus, imparem meis humeris provinciam suscepisse, vel etiam auidior laudis & gloriæ fuisse videar, quàm veritatis & utilitatis publicæ. Quæ cùm ita sint, Quis jam non videat, *Principe* opus fuisse Patrono, qui Dignitatis atque Amplitudinis suæ LUCE, & objectam ab æmulis ambitionis caliginem dissiparet, & intempestivam carpendi libidinem, in hunc ce libellum fors incursantem, AUTORITATE frangeret? Id, quod Mihi hoc magis de R.ma Cel.ne V.ra persuadeo, quando & ipsa Inclyta Familia cognomen à LUCIDO SAXO habet; cujus sanè Decora, & præclara Ornamenta longè illustriora sunt, quàm ut à me, hoc præsertim loco, prædicari debeant, eò vel maximè, quòd talium *Heroum* virtus, exiguis Laudantium septis includi non possit; Mitto perpetuam benevolentiam, qua nos hactenus complexa est, R.ma Cel.do V.a. Quocirca, à Laude ad preces potiùs me converto: Sine, inquam, R.me & Illme Princeps, LUCE Dignitatis Tuæ frui, istum vigiliarum mea-

arum mearum Partum, nec mole magnum, nec ingenio perfectum satis, & industriâ: Sine, à jactatione fluctuum Invidiæ, ad hoc Tuum Saxum adhærescere: Salvo libello, me quoque quadamtenus salvum putabo. Deus Ter Opt. Max. diutissimè Te, R.me Antistes, sospitem incolumemque Nobis & Ecclesiæ conservet. Salisburgi, ex Collegio S. Caroli Borromæi. XII. Cal. April. S. P. N. Benedicto, Sacrô. CIↃ. IↃC. XXIIX.

R.mæ & Jll.mæ Cel.nis V.æ

*Devotissimus Cliens,*

*F. Matthæus VVeiß.*

Facul-

# Facultas R.mi D.ni Præsidis.

NOS SIGISMUNDUS, Abbas SEONENSIS, Ord. S. Benedicti, Salisburgensis Universitatis Præses, facultatem damus, ut *Dialectica, sive Ars de quavis re disserendi, Peripatetica, ab Ad. R. P. Matthæo VVeiß, Ejusdem Universitatis Rectore, &c.* concinnata, typis mandetur. In cujus rei fidem, hoc chirographum concessimus.

*Sigismundus, Abbas & Præses, ut suprà.*

# Approbatio.

*Hanc Dialecticam, Peripatetico dignam ingenio, nec bonis moribus nec rectæ fidei contrariam, ad Studiosæ Juvẽtutis emolumenta, è limpidis Philosophi fontibus haustam, & elaboratam, censui lucem publicam optimo Jure mereri.*

P. F. ANDREAS VOGT, Ord. S. Benedicti, Monachus Presbyter Ottoburanus, Sacræ Theologiæ, & Juris Pontificii Doct. ejusdemq; Professor Ordinarius: Salisburgensis Universitatis Procancellarius.

Ad Le-

AUCTOR

# AD STUDIOSAM ET Peripateticam Juventutem.

SAEpè ego mecum ipſe mirari ſoleo, quid ſit, quòd in Lyceis hodie, ſubtilibus amplus, exiguus verò utilibus locus ſit: quamquam cauſſas, forte non infimæ notæ, dicere poſſem, malo tamen ſilentio premere, ne agere Cenſorem, (quod cuivis eſt facile) non verò utilitati & commodis tuis ſervire voluiſſe videar. Illud verò non conceſſerim multis, quibus ea eſt ſententia, quòd, quò plus aliquid utilitatis habet, hoc magis vulgare ſit, & doctrinâ ac ſubtilitate vacet: Nimirum, quorum uſum vel ignoramus, vel negligimus, ea, expertia ingenij & eruditionis, exiſtimamus. Ego verò hortor Adoleſcentes, ut non minore ſtudio & amore, Artes in uſu poſitas, complectantur, quàm eas, quibus ſecum quidem, non verò cum alijs verſari poſſint. Me igitur Authore, Ingenui Juvenes, dignam amore, dignam ſtudio, putabitis Dialecticam, non illam ſpinoſam & Chryſippeam & Stoicam, quæ quantulumcunque judicare, invenire nihil doceat, non illam Sophiſmatis infamem, aut aliarum

Artium

*Artium & Scientiarum præceptis ac dogmatis oneratam,*
*sed Peripateticam, idest, quæsiisiunt muneris, docentem,*
*& ad id, cujus gratiâ est inventa, accommodatam.*
*Hæc te præmonuisse volui, Stu-*
*diosa Juventus.*

# METHO-

# METHODUS DIALECTICA

## Ex lib. VIII. Top. & 2. Elench. concinnata.

## COMMENTATIO

### PROOEMIALIS.

NOn eſt eadem Logicæ & Dialecticæ Etymologia, utriusq; enim appellatio ab alio & alio primitivo derivatur, ut Græcælinguæ gnaris manifeſtum eſt. Attamen, Uſus quidã invaluit in ſcholis, ut plerumque Logica comprehendat Dialecticam, & hæc illam. Quod inde videtur ortum; Nam primò, veteres, cùm Philoſophiam non tam ſcientiam, quàm exercitationem quandam exiſtimarent, non ſatis præcepta ſciendi à diſputandi præceptis ſejunxerunt, ut fecit Ariſtot. in perſpiciendis differentiis ſolertiſſimus. Deinde, qui ſecuti ſunt Ariſtotelem, cùm viderent Topica conjuncta cum Analyticis, in eam venêre ſententiam, ac ſi utraque ad eandem ſpectaret facultatem, atque ut haberent aut habere viderentur cauſſam, cur ita ſentirent, dixerunt *Dialecticam* non aliter diſſidere à *Logica* ſeu Analytice, niſi quòd hæc Syllogiſmum explicet in materia univerſim, & tùm in materia neceſſaria; illa verò in materia contingenti, & probabili, ac proinde, quemadmodum docere Syllogiſmum in materia neceſſaria, non ad aliam pertinet artem quàm *Logicam*, ita docere in materia probabili ad eandem *Logicam* pertinere.

Sed, quidquid ſit de Nominibus, res ipſę ſunt diſtinctæ; Diverſæ inquam Artes vel quaſi Artes ſunt, poſſe demonſtra-

re, & posse de quavis re probabiliter disserere. Nam primò; passim apud Aristotelem *Dialectica* solos Top. & Elench. libros compredendit, ut legenti, & consideranti manifestum esse potest. Quód si quando dixit, pertinere *ad Dialecticam*, videre de omni Syllogismo, hoc dixit, ut ostenderet differentiã inter *Rhetoricam* & *Dialecticam*. Nam *Dialectica* est, ostendere locos, ex quibus pro quaque re liceat argumentari, quod non est *Rhetoricæ*: hujus enim tantùm est ostendere locos pro caussis civilibus, ut ex ipsiusmet Aristotelis *Rhetorica* notum est.

Deinde; *Logica* non tradit locos, unde formentur & ducantur argumenta ad demonstrandum, nam hoc est particularium scientiarum, quælibet enim conclusio demonstrabilis habet sua propria Principia, & propterea actu ipso demonstrare non tàm est *Logicæ*, quàm ipsius *Philosophiæ*, & ideo *Logica* non tam est peculiaris ars, quàm Organum quoddam & Instrumentum, & usus eius est Philosophiæ. At verò, *Dialectica* suppeditat locos & sedes argumentorum ad differendum & disputandum, & usus eius est eius propria operatio, nec cernitur necessariò in alia arte vel scientia, sed sine aliis artibus, vel scientiis constare potest.

Tertiò; Quod hinc sequitur, Ipsa *Dialectica* non est organum, vel instrumentum necessarium aliarum scientiarum, quemadmodum nec *Rhetorica*. Utilis tamen est, ut infra ostẽdemus.

Quartò; operatio *Dialectica* non manet in mente, sed est externa, quemadmodum operatio *Rhetoricæ*. Nam eius operatio est *disserere*, vel *disputare*, *gratiâ exercitii & indagãdæ veritatis cum alio*, ut partim constat, partim legere est passim in Aristotele; Atq; ideo *Dialectica* interrogat & quærit, & quidem interrogat utramq; Contradictionis partem. Nec tam *Dialecticus* ratiocinatur ex iis, quæ sibi videntur, quàm ex iis, quæ alteri videntur, cum quo disputat. In *Logica* omnia sunt contraria

traria, non enim ex iis, quæ alteri, sed ex veris & quæ sibi videtur, demonstrator concludit, nec *Logicæ* operatio est externa, nisi per accidens, nec curat *Logicus*, quid alteri videatur, dummodo vera sint quæ sumit.

Et quoniam hæ sive Artes, sive Facultates sunt distinctæ, hinc etiam est, quòd apud Aristotelem & Græcos interpretes, vix unquam reperies nomen *Dialecticæ* sumptum aliter quàm pro *arte disserendi*. Et, quod amplius est, apud Aristotelem, Organum Philosophiæ non dicitur *Logica*, sed *Analytica*. Quid quòd nomen *Logicæ*, apud eum non extat *substantivè*, quod sciam, sicut nec nomen *Analyticæ*. Et *Logicè* ratiocinari, Aristotelii idem est, quòd ratiocinari *Dialecticè*; cui opponitur ratiocinari *Analyticè*, tanquam proprium scientiarū, Verùm hæc hactenus.

## *ARTICULUS I.*

## An Dialectica habeat Materiam an Objectum, seu Subjectum?

*CONCLUSIO. Dialectica magis propriè habet Materiam, quàm Objectum*, Hoc ita intelliges. Speculationes dicuntur esse circa *Objectum*, *operationes* autem dicūtur esse circa *Materiam*. Causa est hæc: Quia *speculationes* nihil efficiūt in suo *objecto*, nihil in eo immutant nec id perficiunt, sed tale quale est, relinquunt, & contemplantur Quid & quomodo sit; Nam Physicus nihil efficit in Cœlo, sed ipsum Cœlum quale sit, speculatur. At verò, facultates *operativæ* faciunt aliquid in re, circa quam sunt, ut statuaria facit ex ligno statuam; & ex lūto facit Figulus vas. Sic etiam, quæ dicuntur *Artes liberales*, quodammodo contingunt suam *Materiam*, Musica namque ars, est circa voces non merè *speculativè*, sed *practicè*, redigendo eas in Harmoniam efficiendo concentum. Sic & Geometra mensurat

ſurat diſtantias & magnitudines; & Oratoris eſt, dicere de rebus appoſitè ad perſuadendum. Itaq́; Res, quę ſub dictionē cadunt Oratoriam, ſunt *materia* Oratoriæ, nō *objectum*, quia orator dat rebus orando aliquam formam: & ſimiliter *Materia Dialecticæ* ſunt res, quæ in diſputationem cadunt, & Dialecticus ejuſmodi rebus dat aliquam formam, & quidem formam rationis, niſi quòd *artes Illiberales* contactu quodam reali ſuam *Materiam* perficiunt; *artes verò Liberales* ſuam *Materiam* ornāt & perficiunt contactu quodam quaſi Intentionali, ſic tamen ut *operatio* quodammodo tranſeat in *Materiam*, & quodamodo eam mutet, ac propterea ejuſmodi *operatio* eſt externa & *ſenſibilis*; *ſpeculatio* autem eſt *operatio* Inſenſibilis & ſolùm *intelligibilis*.

Quoniam ergo, Res omnes in Diſputationem cadere poſſunt, ideo *Dialectica* non habet definitum Genus ſeu *Materiam*. Neque verò par eſt ratio *Logicæ* ſeu *Analyticæ*: quaſi & hæc dici debeat habere *Materiam*, & quidem omnem rem ſcibilem, non enim *Analytica* eſt imediatè & per ſe *operativa*, quia non miniſtrat proximè principia demonſtrandi (cùm hæc ſint particularium ſcientiarum propria) unde non habet *Materiam* operationis, ſed in uſum venit per ſcientias, quæ præceptis Analyticis utuntur. At verò *Dialectica* offert Locos & propoſitiones, ex quibus mox facias Syllogiſmum *Dialecticum*; & Uſus eſt ipſius.

Sed fortaſſe dices, *Dialecticam* docere & operari: quà *Docentem*, ſic habere *Objectum*, quà *utentem* habere *Materiam*. Reſpon. *Docentis* finis eſt uſus. Et quamvis alioqui *Doctrina* ſit nobilior quàm *Uſus*; in tali tamen Arte *Uſus* eſt potior & finis *doctrinæ*, ac proinde ſimpliciter *Materiam* habet, non *objectum* magiſq́; ad naturam Artis quàm ſcientiæ accedit. Fine autem diſtinguitur *Dialectica* à ſibi cognatis Artibus.

ARTI-

## *ARTICULUS II*

## An Dialectica ſit Ars, an Facultas?

*CONCLUSIO. Dialectica non eſt ſimpliciter Ars ſed Facultas.* Explico & probo. *Ars* propriè eſt, quæ effectiva eſt; at *Efficere* eſt aliquid operari in externa materia quodam reali *contactu*; ut facit ſtatuarius in ære, Faber in ferro, & Cytharœd⁹ in Cythara, Operantur enim iſti per realem *contactum* & uſum Materiæ. Sed *Dialecticus* non ſic operatur, quia Diſputare non tranſit ſecundùm rem in aliquam *Materiam*, ſicut nec Perorare.

Tranſeunt tamen ejuſmodi *Operationes* quodammodò, quia ſunt externæ, quemadmodum & canere, idcirco dicuntur *Artes* ſed cum addito, ſcil: *Liberales*, partim, quia Ingenuum & liberum hominem decent, *ſerviles* autem ſunt, quas exercere ſervorum eſt: partim, quia plus animo adminiſtrātur quàm corpore. E contrà; *operationes* artium *Mechanicarum*, ut ſculpere, texere, ædificare, coquere, & ſimiles plus habent de actione corporis, quàm Animi: habentq; adeo adjunctam Inquinationem, & propterea inter *Mechanicas*, quæ minùs indigent tactu materiæ externæ, ſunt nobiliores, ut Pictoria, &c.

Quæ autem, & quot ſpecie ſint *Artes liberales*, non eſt hujus loci, notiſſimæ ſunt, *Grammatica*, *Rhetorica*, *Dialectica*, *Muſica*, *Arithmetica*, *Geometria*, *Aſtrologia*, quibus aliqui, inter quos Galenus, annumerant *Medicinam* & *Legum prudentiã*: quanquam hæ duæ (ſi modò tales ſunt) non tam ad liberalem animi delectationem & perfectionem inventæ ſunt, quàm ex ſuppoſitione morborum vel litium. Itaque *Liberales* dicuntur *Artes*, quia habent aliquod opus, non ſimpliciter in externa materia, ſed quodammodo, & ideo cum addito ſunt artes,

quod tamen additum, magis perfectionem quàm defectum significat.

Ut verò ad *Dialecticam* redeamus, ea etsi propriè Ars non est, tamen est *Facultas*; huic enim proprium est, posse facere contraria, ut notum ex Aristot. Ita Orator & suadere & dissuadere potest, accusare & eundem defendere; similiter *Dialecticus* quà talis, idem confirmare & confutare, proponere & respondere. Sunt autem quædam *facultates*, quæ etsi unum solum per se possunt, tamẽ per accidens oppositum possunt, ut Medicina, in qua tamen oppositum sanitati facere, potiùs est abusus artis quàm Usus. Est etiam Proprium *Facultatis*, non semper obtinere finem, quo etiam pertinent Artes, quas ex Græco dicimus *Conjecturales*, quia non totum est in earum potestate, sed persæpè Conjecturis opus est. Unde Medicus non semper sanat, Nec Agricola semper metit, nec Nauta evadit in portum, nec Mercator lucrum facit, Istarum enim artium effectus, non est in solius artificis consilio & industriâ positus, ut dictum est, sed indiget quoque externis caussis, quæ in potestate artificis non sunt. Nec propterea Vanç aut nihili faciendæ, satis enim est in rebus humanis plerumque & remotis impedimentis obtinere finem. Ad has igitur artes *Dialectica* pertinet, eadem namque in illa reperiuntur, adeoque Facultas est, sicuti etiam Oratoria.

## *ARTICULUS III.*
## An Dialectica sit utilis?

*Conclusio.* *Dialectica est utilis*, Primò; ad Exercitationem. Secundò; ad Congressus. Tertiò; ad Philosophiam. Et quidem ad exercitationem: hac enim facultate instructi, poterimus de quaque re probabiliter disserere. II. ad Congressus, & Colloquia, poterimus enim aliorum sententias certis

certis argumentis vel confirmare, vel ſiquid non rectè dictum ſit, confutare. III. ad Philoſophiam, faciliùs enim verum à falſo poterit diſcernere, qui novit, quid pro utraque contradictionis parte probabiliter dici poſſit. Præterea; confert *Dialectica* ad cognitionem Principiorum. Nam Principia non poſſunt ex aliis Prioribus cognoſci ſeu demonſtrari, poſſunt autem firmari & credibilia fieri, rationibus Dialecticis. Fuerunt quidam Philoſophi, dicti *Academici*, qui negarent nos aliter aut amplius poſſe cognoſcere, quàm ex probabilibus probabilia. Totum igitur ſtudium ſuum contulerunt ad exercitationem *Dialecticam*, hanc unam venerabantur maximè. Nos verò concedimus quidem, magnum eſſe adjumentum in *Dialectica*-ſed tamen negamus in ea quieſcendum, quia Philoſophia eſt ſublimior, & eſt cognitio Demonſtrativa. Verùm, ipſe Philoſophus non parum, ſæpè dimittit ſe ad *Dialecticam*, contentus probabilibus, cùm demonſtrativa habere non poteſt. Exempla paſſim extant apud Ariſtot. præſertim 1. Poſt: definitudine Terminorum, & 2. Poſt. de definitione, an idem & ejuſdem, quod & cujus eſt demonſtratio. Similiter IV. Phyſicorum, & alibi paſſim, maximè in Met. contra Ideas.

# CAPUT I.

## *DE SYLLOGISMO DIALECTICO.*

VNiverſalis forma Syllogiſmi ad concludendum, ex probabilibus non differt ab ea, quæ tradita eſt Prioribus Analyt. Ut vero concludatur veroſimiliter, & ad opinionem faciendam, non eſt ex ſola univerſali forma, ſed ex pro-

ex propositionibus talibus & sic affectis, ut deinceps constabit.

# COMMENTATIO I.

## DE MATERIA SYLLOGISMI Dialectici.

Duo sunt *Instrumenta* probandi, Syllogismus & Inductio, his enim rationes innuentæ aptè ad concludendum disponuntur; Syllogismus universim quid sit, abunde dictum est in Prioribus Analyt. Inductio verò est à singularib. ad universale progressio, ut Gubernator optimus ille est, qui est sciens, similiter Auriga & Miles, ergo universim in quavis arte optimus est, qui est sciens.

Ac si rem accuratè examinamus, Inductio suam vim habet à Syllogismo, ut alibi ostendimus. Verùm, hîc non tàm attendimus concludendi necessitatem, quàm procedendi viam, qua incedit Inductio, ut à singularibus ad Universale. Syllogismus autem est ab Universalibus. Neque hîc tàm intuemur dispositionem Terminorum trium, (hæc consideratio ad Analyticam pertinet) quàm Propositiones, quæ in Inductione sunt particulares, seu quod hîc idem est singulares, in Syllogismo autem Universales. Et quia Universalia sunt rationis, singularia sensûs, ideo Syllogismus est robustior & aptior ad convincendum atque ad redarguendum, quia propinquiùs accedit ad principium universalissimum Contradictionis, scil. Nihil simul affirmari & negari potest, & Quodlibet affirmari aut negari debet. Particularia autem quia sunt notiora quoad nos, faciliùs à nobis conceduntur & sic Inductio est aptior ad persuadendum. Dialecticus ergo, quia non habet definitum Genus & non ex propriis scientię alicujus principiis

cipiis ratiocinatur, ſed ex communibus ad opinionem, aliàs utitur libentiùs Syllogiſmo, aliàs Inductione, frequentiùs tamen Syllogiſmo, quia exercitatio Dialectica magis eſt Philoſophorum, quàm Ineruditorum: Quæ etiam cauſſa eſt, quòd Exemplum, quod ſolum eſt ad ſingulare, Oratori relinquit, ſicut & Enthymema, quod freqẽntiùs eſt ex ſignis particularib. & ſingularibus & ad ſingulare probandum adhibetur.

## *ARTICULUS I.*

## De quibus ſit Syllogiſmus Dialecticus?

*CONCLUSIO. Eſt de iis, quæ in diſputationẽ aut Diſceptationem cadere poſſunt*, quæ etiam dicuntur Problemata Dialectica. Eſt enim *Problema*, quæſtio, de qua vel in neutram partem ſentiunt homines, aut II. Sapientes aliter ſentiunt ac vulgus, ut an Beatitudo ſit in divitiis nec ne? aut III. Sapientes inter ſe diſcordant, ut, an principium Venarum ſit Cor. aut IV. vulgares inter ſe diſcordant. Debent enim ea, de quibus eſt quæſtio *Dialectica*, habere aliquam ambiguitatem: dubitare namque, alba an atra ſit nix, & ſimilia, hominis eſt vel non ſani, vel cæci, aut alio ſenſu capti, vel denique ignorantis vocabula. Et qui ambigunt, & in quæſtionem vocant, *Num Deum oporteat colere, Parentes diligere nec ne*? pœna indigent, non ratione. Oportet igitur illud ſolùm *Problema* in quæſtionem vocare, de quo dubitare quiſpiam poſſit egens rationis.

Porrò; ut pingui Minervâ dividamus *Problemata Dialectica*, ea ſunt in quadruplici differentia, ſicut & propoſitiones: aut enim quæritur *Genus*, aut *Proprium*, aut *accidens*. Et enim *differentia*, cũ ſit generalis, unà cum Genere eſt collocanda. Et quia *proprium* aliud eſt, quod ſignificat quid res ſit, aliud verò non ita ſignificat, prius dicetur *Definitio*, hęc enim eſt oratio, quæ ſignificat quid res ſit. Et ad *Definitionem* revocatur, cùm

loco obſcuri, clarius nomẽ ponitur, ut honeſtum eſt id, quod decet. II. ad *Definitionem* refertur, cùm quæritur, an aliquid ſit idem an diverſum. *Proprium* verò, quod non ſignificat quidditatem, communi nomine *proprium* appellatur, ineſt ſoli & cum re reciprocatur, ut Grammaticæ capax, proprium eſt hominis. Poteſt aliquando aliquid eſſe proprium *comparativè*, ut bipes proprium hominis comparando ad equum & canem.

*Genus* verò eſt, quod pluribus & differentibus ſpecie attribuitur in quæſtione quid eſt, de quo alibi.

*Accidens* autem eſt, quod nihil horum eſt, nempe nec Genus, nec Definitio, nec proprium, ineſt autem rei. Vel potiùs, quod uni & eidem poteſt ineſſe & non ineſſe. Cùm igitur quæritur, eſt ne animal genus hominis nec ne? *problema generis* eſt. Erit autem propoſitio, ſi non utraque contradictionis pars ſumitur, ſed altera, ut eſt ne animal genus hominis? hîc ſolùm quæritur, utrum animal ſit genus hominis, non verò, an non ſit. cauſſa eſt, quia ex propoſitione ratiocinaturus, indiget ſolùm alterâ contradictionis parte. *Problema Definitionis* eſt, ut, Eſtne animal pedeſtre bipes, definitio hominis nec ne? *Problema accidentis*, ut, Eſtne ridere accidens hominis nec ne?

## *ARTICULUS II.*

## An non ſint plura Genera problematum Dialecticorum, quàm ſupra expoſita?

*CONCLUSIO. Non ſunt plura.* Cujus rei fides eſt, Primò per Inductionem: ſi quis enim conſideret ſingulas propoſitiones & problemata, ſemper videbit aut ex *Definitione*, aut ex *proprio*, aut ex *Genere*, aut ex *accidente* ſumpta eſſe. Nam primò; quæ-

quærere, an aliquid ſit idem an diverſum, ad problemata definitionis pertinet. Quæ enim habent eandem Methodum vel confirmandi vel confutandi, ad idem genus problematis referuntur. An verò aliquid ſit idem an diverſum, ex Methodo definitiva probatur, vel ſaltem confutatur. ſi enim probatum eſt, aliquid eſſe definitionem, probatum etiam eſt, eſſe Idem ſaltem ſpecie & eſſentiâ, ac ſi probatum eſt, non eſſe Idem, probatum etiam eſt, non eſſe definitionem.

II. Quærere, utrum aliquid in eodem Genere cum altero ſit, an diverſo, ad *Problema Generis* refertur, quia per eandem methodum probatur, vel confutatur aliquid eſſe hujus & illius Genus, per quam probatur eſſe hujus.

III. Quærere, quonam pertineant mutuæ rerum collationes & comparationes quocunque modo ab accidente ductæ, dicitur, pertinere ſimilia problemata ad Methodum accidentis. ut ſi quæritur, Utrum honeſtum an utile ſit magis eligendum, & utrum Jucundior ſit vita quæ eſt ſecundùm Virtutem, an quæ ſecundùm voluptatem? in his enim & ſimilib. quæritur, cui prædicatum magis accidat.

IV. Quærere, an aliquid ſit ſubſtantia, an Quantum, an quale, &c. eſt quærere an ſubſtantia, an quantum ſit eius ſummum Genus.

V. Quærere, an hoc illi inſit, eſt quærere, an hoc illi accidat, & ſic omnia problemata, in quibus nec quæritur *Genus*, nec *definitio*, nec *proprium*, referuntur ad problema accidentis. Et quoniam in ſingulis ſcientiis ſunt multa, de quibus ejuſmodi ſcientiarum profeſſores non conveniunt, vera ne ſint, nec ne, ea etiam à *Dialectico* tractari poſſunt & quæri ac diſputari: Aliter tamen, quàm ab illarū ſcientiarū tractatorib.; iſti enim talia contemplantur ex propriis illius ſciētiæ principiis, ex quibus fortè quod attinet ad rem, demonſtrari poſſunt, vel etiam oſtendi, quòd falſa ſint & impoſſibilia, (plerumque enim con-

tingit, quædam non apparere vera an falsa sint, quia non sumitur primum medium & prima caussa, ut fieri oporteret juxta regulas demonstrativas) dummodo sint aliàs necessaria vel impossibilia.

At verò *Dialecticus* de his omnibus disputat, non ex propriis principiis, sed ex quibusdam communibus, quæ fortè & ad confirmandum & ad refutandum valeant. Ex communibus inquam, ut à simili, à contrario, à Conjugatis, &c.

Ut igitur Concludam; *Problema Dialecticum* est, de quo aut neutram in partem sentiunt homines; aut multi contrà ac sapientes; aut sapientes contrà ac multi, aut utrique dissentiunt ipsi inter se, ac si neque genus nec definitio nec proprium quæritur, refertur ad problema accidentis, & eadem methodo confirmatur vel refutatur, de qua Methodo infrà.

Porrò; quorundam ejusmodi problematum cognitio, utilis est ad eligendum vel fugiendum, veluti, *Utrum voluptas sit bonum nec ne?* Quorundam verò ad cognoscendum duntaxat, veluti olim apud Philosophos, *utrum mundus sit æternus nec ne?* Quædam autem per se ad neutrum horum valent, ad eorum tamen aliqua conferunt: multa enim sunt, quæ nolumus suî ipsorum caussâ nota facere, sed aliorum caussâ, ut per hæc aliud quiddam notum faciamus, ut *sit ne eadem contrariorum scientia nec ne?* & similia Logica problemata.

Demum; ad *Problemata* etiam pertinent sententiæ nobilium Philosophorum aliàs admirabiles & Paradoxæ. veluti, *Non posse contradici*, ut dicebat Antisthenes, aut *omnia moveri*, ut Heraclitus. aut *ens esse unum*, ut Melissus. aut *nihil percipi*, *aut comprehendi posse*, ut Academici, aut *In motu Cœlorum & astrorum esse concentum Musicum*, ut Pythagoras. *Omnia esse sibi mutuò immista*, ut Anaxagoras; *In Phalaridis tauro justum esse beatum*, ut Stoici. Curare autem quid quisque dixerit, non est sapientis, quidam enim instar insanientium locuti sunt, aut pecorum, ut Epicurus, aut

rus, aut fabulantur, ut Poëtę de Tartaro. Hujusmodi sententia nobilis Philosophi dicitur *Thesis*, postea tamen consuetudo obtinuit, ut quodvis *problema* diceretur *Thesis*, & hodie quoque sententias ad disputandum propositas appellamus *Theses*. Quanquam hodie de *Thesibus*, non tam *Dialecticè*, quàm Analyticè seu ex propriis disputare solemus, nec tàm ad indagandam veritatem proponuntur *Theses*, quàm ad faciendum periculum de respondentis eruditione in aliqua scientia. Atque ideo respondens ponir sententias ex aliqua determinata scientia. Unde qui contrà disputant, non interrogant, sed sumunt principia quędam ex illa scientia, quam respondens profitetur se scire. Quanquam non rarò contingit opponi etiam ex communibus & *Dialecticè*, cùm totum fiat explorandi gratiâ, quod aliàs est officium *Piraslices*, quæ vel est pars, vel cognata Dialecticæ. sed hæc hactenus.

## ARTICULUS III.

## An non sint pauciora Problemata Dialectica?

CONCLUSIO. *Non sunt pauciora quàm quatuor suprà exposita.* Ostensum est, antea, non esse plura, quod etiam hinc constat. Quod enim attribuitur, vel reciprocatur cum re, vel non reciprocatur. Si reciprocatur, erit *definitio*, si etiam significat quidditatem. Si autem non significat quidditatem, est *proprium*. Quódsi non reciprocatur, aut est aliquid ex iis, quæ dicuntur in definitione subjecti, estque *genus* vel *differentia*; aliàs verò erit *accidens*. Videri autem alicui posset esse pauciora, & posse omnia revocari ad Methodum *definitivam*, quia etiam in Methodo, quâ probandum est aliquid esse *Definitionem*, probandum etiam est inesse, quod

fit in *accidente*, & probato quòd non insit, probatum etiam est, non esse *definitionem*, & probato non inesse soli, probatum rursus est, non inesse ut *definitionem*, & probato non inesse ut quid, probatum est neque esse *Genus*, neque *definitionem*.

Verùm; ista, non ostendunt, unam in omnibus problematis methodum inveniendam esse. Nam primò; quamvis cæteris eversis evertatur definitio (si quid enim non inest, aut non inest soli, aut non est, ut Quid, tum neque est *Definitio*) tamen non statim cæteris probatis probata est *definitio*, potest enim inesse & soli inesse, & tamen non inesse, ut definitio, nam hæc insuper significat quidditatem.

II. Eiusmodi methodus universalis ad omnia quatuor *problemata*, non est facilis inventu. III. Etiamsi inveniretur, esset obscura & inutilis ad propositam tractationem, quia nimis remota & communis; faciliùs autem & clariùs est, ex cuiusque problematis propria methodo differere.

# COMMENTATIO II.

## *DE PARANDA PROPOSITIONUM copia universim.*

UT se habent Principia ad Demonstrationem, ità *Propositiones* ad *Dialecticè* disputandum. Quare, qui abundat *propositionibus*, abundat etiam copiâ Syllogismorum & Inductionum. Ad hanc abundantiam sunt quatuor Instrumenta. I. Sumere *propositiones*. II. Posse distinguere quot modis quidque dicatur. III. Differentias invenire. IV. Considerare similitudines. Et hæc sunt generalia Instrumenta. ut autem sit copia pro singulis problematis in specie, infrà Loci monstrabuntur

strabuntur, ex quibus inveniamus *propositiones.*

## ARTICULUS I

## Unde & quomodo sumendæ sint Propositiones?

CONCLUSIO. *Definitio propositionis Dialecticæ, indicat, unde & quomodo sumendæ sint propositiones Dialecticæ.* Sic enim definitur *Propositio Dialectica*: Interrogatio Probabilis aut omnibus aut vulgo seu plerisque, aut sapientibus: & his vel omnib. vel plurimis, vel nobilissimis, dummodo à communi opinione non abhorreat. Dicitur autem *Interrogatio*; nam ut constat ex 1. Pr. c. 1. *propositiones Demonstrativæ*, debent esse simpliciter, & secundùm naturam notiores, at *propositiones Dialecticæ* satis est, si quoad nos aut secundùm multorum opinionem veræ sunt, & propterea *propositio demonstrativa* est sumptio alterius partis contradictionis (nam qui demonstrat, non interrogat, sed sumit) *Dialectica* autem *propositio* est interrogatio Contradictionis. Demonstrator certè non relinquit optionem, quia ex veris ratiocinatur, non potest autem utraq; contradictionis pars esse vera: sed *Dialecticus* interrogat, & ponit in arbitrio respondentis, an illam contradictionis partem concedat, quia utraque pars potest esse probabilis, & sic *Dialecticus* percontatur. Hodie verò non interrogamus in nostris disputationibus, sed ponimus, & argumentans integrum proponit Syllogismum, & audit, quid neget, ajatue respondens; Cumque iste aliquid negaverit, mox idipsum cogitur probare adversarius, non habitâ ratione primi problematis. Antiqui autem interrogabant, & interrogando eliciebant, ac tandem

tandem concludebant; Cúmque aliquid in decurſu negaretur, non illud ipſum probabant ſemper, ſed aliâ viâ tentabant *Problema* propoſitum, vel aſtruere, vel evertere, & ſic ad idem *Problema* fiebant plures ratiocinationes.

Neque verò iſtud ſine utilitate, aut abs re, cupiebant enim ejuſmodi congreſſibus veritatem invenire, non autem obtinere victoriam, ſeu periculum facere de profectu reſpondentis, quamvis & hoc aliquando facerent, tùm propter quorundam arrogantiam, tum propter Sophiſtarum importunitates. Inde etiam eſt, quòd veterum diſputationes magis fuerint *Dialecticæ*, noſtræ autem ſoleant eſſe ex particularibus ſcientiis, ut ex Phyſica vel Metaphyſica. Et quoniam principia ſcientiarum ſunt determinata, nos non facilè interrogamus, & vitium eſt, non conceſsâ propoſitione ad aliud & aliud argumentum tranſire. Ex quo etiam contingit, quòd in noſtris diſputationibus, facilè ad aliena delabimur, quia cogimur probare, quod negatum eſt. Sed de hac differentia, iterum infra.

Porrò; ex definitione *propoſitionis Dialecticæ* conſtat, quæ & quales & unde ſumendæ ſint propoſitiones. Nam dictum eſt, quòd *propoſitio Dialectica* ſit interrogatio probabilis aut omnibus, & ſic oportet ſeligere omnium opiniones; aut pluribus, & ſic eligendę ſunt opiniones plurimorum; aut ſapientibus, & ſic eligendæ ſunt opiniones ſapientum, & his vel omnibus, vel plurimis, vel nobiliſſimis, & ſic ſemper eligendę ſunt opiniones, quæ vel multitudini vel ſapientibus probabiles ſunt.

Secundò; eligendæ ſunt opiniones, quæ ſecundùm aliquam artem videntur, ut quæ ſecundùm medicinam, nam ut dicitur, Cuilibet in arte ſua credendum. Sunt autem Tertiò *propoſitiones Dialecticæ* etiam, quæ ſunt probabilibus ſimilia. Et rurſus Quartò, quæ ſunt probabilibus contraria, per contradictionem

dictionem proposita, ut probabile est, oportere de amicis benè mereri, huic contrarium est, oportere de amicis malè mereri, & hoc si proferatur cum negatione seu per contradictionem, sic, Non oportet de amicis malè mereri, probabile est. Hujusmodi verò *propositiones* colligendæ sunt non solùm ex vivis disputationibus, sed etiam ex scriptis. Atque ut magis in promptu habeantur, facienda est in ejusmodi annotatione quædam divisio, ut separatim ponantur, quæ ad naturam; separatim quæ ad mores; & separatim quæ ad rationem differendi pertinent: Et rursùs, ex naturalibus, separatim quæ ad animal, separatim quæ ad elementa; & sic de cæteris. Huc referri potest, quod docet Arist. 1. Pr. c. 28 *Oportet*, inquit, *propositiones ad quamque rem pertinentes accipere, ut principio supponatur res ipsa, de qua agitur, Nec non Definitiones, & quæcunque sunt eius rei propria: Deinde quæ rei Consequentia sunt, & ea, quibus ipsa res consequens est, seu Antecedentia. Distinguenda sunt etiam consequentia, quæ nam in quæstione quid est, quæ ut propria, quæ ut accidentia attribuantur; & horum quænam secundùm veritatem, quæ secundùm opinionem. Nam quò maior horum copia alicui suppetit, eò expeditiùs propositũ concludet, & quò veriora fuerint, eò magis demonstrabit. Et c. 30. Oportet quovis problemate proposito colligere, quæ insunt, & quæ subjiciuntur, horumq; maximam copiam habere, atq; hæc per tres terminos considerare, hoc modo, si evertatur; illo, si astruatur: & veritatis quidem caussa ex iis ratiocinari, quæ verè inesse describuntur; ob Dialecticos autem Syllogismos, ex propositionibus probabilibus seu secundùm opinionem. Et paullò post: Circa singulas res oportet eligere, ut de bono vel scientia. Propria verò principia in quaq; scientia permulta sunt, idcirco Experientiæ proprium cujusq; principia tradere.*

Hæc cùm summo studio facerent antiqui, ætatem suam non in puerilibus quæstiunculis & distinctiunculis consumpserunt, sed naturam rerum secuti, solida & succi plena nobis reliquerunt.

Porrò; his documentis quadamtenus insistunt, qui *Animadversaria*, seu *Locos communes* conscribunt, ut de quaque re habeant in promptu differendi copiã, & ut faciliùs inveniant, quod volunt, ad Alphabeti litteras genera reducunt, & quidam adeo sunt industrii, ut non priùs librum aliquem ad legendum, quàm calamum ad excerpendum in manus sumãt; qua in re delectus & judicium adhiberi debet, alioqui vanus & infinitus erit labor; ea maximè excerpenda, quæ in aliquo genere excellunt, nec passim occurrũt, aut non est facilis reditus ad librum.

Potest etiam lectus & probè intellectus Author redigi in Compendium: & pro exercitio memoriæ non parum prodest, idipsum præstare ex memoria præteritæ lectionis. Non lectum verò, aut non probè intellectum Authorem in Compendium redigere, fortasse parum utilitatis habet, præter negotium. Aliena quoque seu ab aliis facta Compendia, non ita prosunt, sicut fortè ipsis Epitomastis, & plerumque qui cõtrahit, ea servat, quæ sibi maximè utilia & necessaria sunt, neglectis sæpè iis, quæ utiliora & magis necessaria forent, aut saltem pro cognoscenda authoris mente aut constitutione rei, apprimè adjumento essent. Et propterea, Authores non semper æquo animo accipiunt, si alius quispiam eorum partus & meditationes in Compendium redigat. Illud tamen negari non potest, quin Compendia serviant occupatis & festinantibus, ac rudem quandam cognitionem quærentibus.

## ARTICULUS II.

## Vnde intelligatur aliquid multis specie modis dici?

CONCLUSIO. *Ex iis, quæ paullò pòst dicemus.* Dictum fuit suprà,

ſuprà, quatuor eſſe Inſtrumenta, per quæ nobis ſuppetat copia Syllogiſmorum & Inductionum: primum erat, ſumere propoſitiones, de quo præcedenti art. alterum, poſſe diſtinguere, quot modis quidque dicatur. Nam primò; qui hoc poteſt, poteſt etiam commodè reſpondere & ſolvere. II. poteſt propter multitudinem ſignificationum, habere plures propoſitiones, non quòd *Dialectici* ſit, ex æquivocatione decipere, vel ex inſtituto rem ipſam relinquere, ſed quòd, quando ambiguitas & æquivocatio eſt obſcura, licet ex ea probabiliter differere. Ut ergo aliquis comparet facultatem diſtinguendi, an quid multis & quibus modis dicatur., reſpicere debet ad ſequentia.

Primò; ad *Contrarium*. Nam ſi contrarium multis modis dicitur, tum & ipſum, & multò magis ſi contrarium multis nominibus dicitur. Ex hoc intelligimus, quòd Acutū non uno modo, ſed pluribus dicitur, Nam acutum habet multa contraria, quæ non ſolùm ſpecie ſed & nominibus differunt.

Acuto in voce, ſeu acutæ voci contrarium eſt grave, acuto autem in magnitudine, ſeu magnitudini acutæ ut ſic, contrarium eſt obtuſum. Cúmque acutum ſit utrique contrarium, aliud erit ſpecie acutum, quod opponitur gravi, aliud quod obtuſo. Interdum contraria non differunt nominibus, ut vox candida dicitur, & color candidus, ſed ſtatim apparet differentia. Huc pertinet, ſi alicui partim eſt aliquid contrarium, partim non, quia erit multiplex. Huc itidem pertinet, ſi cōtradictorium multis modis dicitur, quemadmodū Non videre dicitur multis modis; quia non videre, vel eſt nō habere viſum, & ſic lapis nō videt, vel eſt non uti facultate videndi, qua ratione dormiens non videt. Ergo etiam *videre* dicitur multis modis, aut enim eſt habere facultatem

videndi, quam dormiens quoque habet, vel eſt uti facultate. Nec minùs hoc contingit in privativè & relativè oppoſitis, ut ſi unum illorum dicitur non uno modo, tum & alterum. Itaq; ut uno verbo dicam, reſpicere ad oppoſitum, præſtat facultatem diſtinguendi an aliquid multis dicatur modis. In diſputatione aũt non ſolùm oportet dicere, aliquid dici pluribus modis, ſed oſtendere quoque & applicare, quibus modis dicatur, aliter enim color dicitur ſanus, aliter medicina, aliter animal. nam hoc per ſe & primó dicitur ſanum, alia verò, quia ſignificãt vel efficiunt ſanitatem. ita etiam videre dicitur pluribus modis, ſcilicet vel actu vel potentiâ. Ita in ſimilibus. Hoc igitur explicandum eſt, nam cujuſvis eſt dicere, aliquid dici pluribus modis, ſed non niſi periti id ipſum explicare.

II. Ad facultatem diſtinguendi, reſpicere oportet ad *Caſus*. Nam ſi nomen dicitur non uno modo, tum & caſus ab eo ductus; & ſi caſus, tum & nomen. *Caſus* autem dicuntur variæ cõmutationes aut terminationes alicujus nominis aut verbi, ut Juſtum, juſtè; ſi ergò juſtum multis modis dicitur, tunc & juſtè, & ſi hoc, tum & juſtum, & ſi ſentire multis modis dicitur, tum & ſensus, & ſi tangere multis modis, tum & tactus; & ſi ſalubre, tum & ſalubriter.

III. Reſpicere ad *Categorias*. An ſcilicet ſub eodem nomine, ſint in eadem Categoria, aut habeant differentias diverſarum Categoriarum. Nam ſi qua non ſunt in eadem Categoria, manifeſtum eſt nomen illis commune non eadem ratione utrique convenire, ut bonum in cibis, idem eſt quod effectivum ſanitatis; & bonus cibus, qui natus eſt facere aut conſervare ſanitatem: at verò bonum in anima, eſt qualem eſſe, utpote temperatum aut juſtum. Et bonum in occaſione, pertinet ad Quando, bonum namq; eſt, quod fit in tempore. Sæpè etiam Bonum eſt Quantum, ut moderatum; ſic etiam Habere interdum eſt idem quod aliquo modo affectum eſſe,

maximè

maximè apud Græcos, habere virtutem, qua ratione Habere ponitur in Qualitate: interdum Habere est indutum esse, estque aliud prædicamentũ. Ergo Habere & bonũ multis modis dicuntur. Similiter; Ens modò est substantia, modò Quantitas. modò alterius Categoriæ. Quare Ens dicitur pluribus modis. Quod etsi hîc solum exempli caussâ affertur, tamen valet aliquid contra eos, qui pugnaciter contendunt Ens esse Univocum.

IV. Utile est respicere ad *Definitionem Compositi*, ut respicere ad definitionem eorum v. g. quæ acuta dicuntur, ut acutæ vocis, & acuti ensis. Nam acuta vox est, quæ celerem sonũ facit, acutus ensis, qui acutum angulum habet, seu qui citò ferit, ergò aliter vox, aliter ensis dicitur acutus. Similiter homo dicitur Durus, à quo rogando nihil possumus impetrare, ferrum autem dicitur, quod non cedit.

V. Videndum est, an non possint conferri ex *majori* aut *similitudine*, ut, si unùm non potest dici magis tale sub aliquo nomine, quod alioquì de aliis dicitur cum Magis. ut acutum. de multis dicitur sub comparatione Majoris, quædam enim sunt alia aliis acutiora, ut manifestum est. attamen vox non dicitur acutior quàm sapor, nec contra: ergo sapor non est ea ratione acutus qua vox, quia sub nomine acuti non possunt conferri, ut unum sit magis.

Item ex similitudine conferri non possunt, quæ cum eodem nomine dicantur, tamen similia dici non possunt: ut vox & vestimentum sunt candida, non tamen vel illa huic, vel hoc illi dicitur simile. Itaque candidum est Homonymum seu æquivocum, non minùs atque acutum. quia ut ait Arist. *omne synonymum est comparabile, quia vel similiter dicitur, vel alterum magis altero*, quasi diceret, omne synonymum seu univocum est, comparabile vel secundùm similitudinem, vel secundùm majus & minus.

Ad hæc igitur & ſimilia, ſiquis reſpexerit, facilè deprehẽdet, an multis modis dicatur, & ſic habebit in promptu diſputare & reſpondere: diſputare quidem, ſi ad alteram ſignificationem Syllogiſmum dirigat; quanquam non eſt *Dialectici*, velle alterum paralogiſmo fallere, hoc potiùs Sophiſticum eſt, niſi fortè non ſuppetat alia diſputandi via. *Omnino hoc vitare Dialectici debent*, ait Ariſtoteles, *ne adverſus nomen diſputent, niſi quis nequeat aliter de re propoſita diſſerere.* Vel etiam, cùm ambiguitas vocis admodum obſcura eſt & latet: tum enim propoſitio in utroque ſenſu probabilitatem habet. Ac propterea eruditi quoque interdum ex æquivoco diſputant, cùm vox apud multos aut pleroſque ſynonyma eſt, quã tamen argumentans, ſive ex aliqua ratione ſive ex authoritate claſſica, habet pro æquivoca.

Reſpondere etiam paratus erit tali facultate diſtinguendi inſtructus, quia ſciens, quot modis aliquid dicatur, non facilè circumvenietur æquivocatione, nec patietur alterum adverſus nomen differere.

Porrò; in diſtinguendo, quot modis aliquid dicatur, non ſolùm oſtendi debet, hoc aut illo modo dici, ſed etiam, ut ſuprà diximus, oportet rationes eorum explicare.

## ARTICULUS III.

## An ad copiam Propoſitionum & ratiocinationum, faciat ſimilitudinum & differentiarum inventio?

CONCLUSIO. *Utrarumvis inventio, facit ad copiam Propoſitionum &*

*num & ratiocinationum*. Differentias inſuper invenire utile eſt ad Syllogiſmos, quibus concluditur, an aliquid ſit idem, an diverſum: item ad Definitiones, ut notum eſt. Similitudinis autem inventio & contemplatio, utilis eſt tùm ad Inductiones, tùm ad Syllogiſmos ex hypotheſi, tum demum ad Definitiones. Et quidem ad Inductiones, quia Inductiones facimus, colligendo Univerſale ex multis ſimilibus particularibus. Ad Syllogiſmos verò ex hypotheſi (jam intelligitur ex Analyt. qui dicantur apud Ariſtot. Hypothetici, qui ſcilicet non directè concludunt, quod quæritur, ſed ex confeſſione adverſarii) eò quòd factâ hypotheſi, ſi ita ſit in uno ſimilium, eſſe etiam in cæteris, ſi de uno concludimus, etiam de cæteris concluſiſſe videmur, ut ſi de viſu probavimus indigere medio, etiam de auditu (ut qui cum viſu ſimilitudinem ſeu proportionem habet) ex hypotheſi probavimus. Tandem ad Definitiones, quia ſimilia habent aliquid commune, quod ſolet eſſe Genus.

Ad copiam verò *propoſitionum*, ſimilitudinis & differẽtiæ inventio prodeſt, primò; quia quod dicitur de uno ſimilium, de altero quoque dici videtur, & ſimilibus ſimilia conveniunt, & qui de uno ſimilium abundat propoſitionibus, de altero quoque abundare videtur, præſertim quâ ſimilia ſunt.

Secundò; qui poteſt differentias invenire, poteſt etjam facilè excipere, & ut dicitur, dare inſtantiam.

Cæterùm; in quærenda ſimilitudine ſic oportet ſe gerere, Primò; convenit maximè in iis exerceri, quæ longiſſimè inter ſe diſtant, ut quid ſimile habeant bonum & malum. Secundò, ſimilitudo conſideranda eſt in iis, quæ ſunt in diverſis generibus, per particulam Ad vel In. Ut ſe habet ſenſus ad ſenſibile, ita ſcientia ad ſcibile. Ut vi-

Ut visus est in oculo, ita mens in anima. Ut tranquillitas in mari, ita serenitas in aëre, utrumque enim est quies.

Quoad differentias, oportet eas quærere inter ea, quę sunt in eodem genere, ut quid intersit inter Justitiam & fortitudinem, & universim inter illa, inter quæ non est magna distantia. Et quamvis sæpè, inter aliqua non sit similitudo essentiæ aut secundùm rem, est tamen similitudo per comparationem, seu similitudo Relationum. Quare vel oportet unam rem conferre alteri, vel duas comparare cum aliquo tertio, vel duo cum duobus, ut scientiam cum scibili, & sensum cum sensibili, nam ex hac duplici comparatione seu duorum cum duobus, nascitur quædam similitudo seu proportio inter sensum & scientiam, prout scilicet ita comparantur cum aliis duobus.

Quomodo autem possimus venari differentias, ut vocãt, *constitutivas* seu essentiales, colligere est ex methodo investigandi definitionem, omnis enim definitio constat ex differentia. quomodo autem *divisivas*, intelligendum est ex methodo dividendi. Vide 2. Post.

# CAPUT II.

## *DE CONFIRMANDI ET REfutandi Locis.*

## COMMENTATIO I.

### *De Problemate Accidentis.*

Quatuor esse genera problematum Dialecticorum, suprà ostensum est. Inter hęc ordine perfectionis ultimum est

*problema*

*problema accidentis*; attamen ordine doctrinæ est quodammodo primum, & quadantenus etiam ordine naturæ. Nam priùs est inesse, quàm soli aut omni inesse, & faciliùs probatur aliquid alicui inesse, quàm inesse ut genus, vel definitionem, vel proprium. Hinc est, cùm antea universim ostenderimus, quæ & quales propositiones sumendæ sint, nunc sigillatim, sit dicendum, unde sumendæ & formandæ sint propositiones pro singulis problematis, à *problemate accidentis* incipere voluimus. Est autem *problema accidentis*, omne, in quo nec genus, nec definitio, nec proprium quæritur.

## *ARTICULUS I.*

## An sint aliqui Loci Argumentorum?

*CONCLUSIO. Sunt certi argumentorum loci.* Cùm in scientiis pro qualibet quæstione & conclusione, sint determinata principia, non sunt loci, unde inveniantur argumenta, seu principia: sed si hæc latent, inveniuntur inductione tanquam instrumento. At, quia *Dialectica*, non habet determinatas conclusiones, & æquè ad refutandum valet, atque ad confirmandum, non habet ea determinata principia, sed suppeditat locos, ex quibus, adhibitâ industriâ, inveniamus argumenta, sive ad refellendum, sive ad confirmandum.

Atque idcirco *Locus* dicitur *sedes argumenti*, per quandam Metaphoram, *ut enim earum rerum* inquit Cic. in Top. *quæ absconditæ sunt, demonstrato & notato loco, facilis inventio est, sic cùm pervestigare argumentum aliquod volumus, Locos nosse debemus, sic enim appellatæ ab Arist. sunt hæ, quasi sedes, è quibus argumenta promũtur: Itaq; licet definire Locum, argumenti sedem.* Hæc ille. Ex quibus cernitur Analogia. Differentia autem est, quòd argumẽta in his locis non continentur quasi corporaliter, sed quasi admonendo, quia observati admonent quærentis animum,

quomodo possit *problema* propositum confirmare vel refellere, præsertim accedente arte, quæ ostendat, quid in quolibet loco observari debeat, ut facilè inde argumentum trahatur.

Unde etiam Boëtius dixit, *locum esse id, unde ad propositam quæstionem conveniens trahitur argumentum.*

Dividere solent *Locum* in *Maximam*, & *Differentiam maximarum.* Illam, inquiunt, esse propositionem per se notam, quæ aliis fidem subministret, ut *Cui non convenit Definitio, nec definitum convenit.*

*Differentia Maximarum*, inquiunt, est receptaculum plurium maximarum, ut *Locus Definitionis*, plures continet maximas, ut etiam hanc:

*Cui definitio convenit, & definitum.*

& plures alias. Atque hoc receptaculum inquiunt, est habitudo Definitionis ad definitum. Addunt insuper, Aristot. fuisse inventorem *Maximarum*, sed locos posterioris generis, scilicet *Differentias Maximarum* alios post illum Philosophos invenisse, & artificiosiùs tradidisse.

Verùm; quidquid sit, arbitror ego Aristotelem si non subtiliùs, certè longè utiliùs & accommodatiùs ad usum, *locos* tractasse. Nec verò subtilitas in his rebus quærenda est, quare ipsemet Aristot. initio professus est. *De his rebus*, inquit, *non cepimus consilium exquisitam tractationem afferendi, sed quatenus typo hæc percurrere volumus, putantes omnino sufficere secundùm propositam methodum, si horum unumquodque possit quomodocunque notum fieri.* Hæc ille, non sine ratione, nam quæ ad usum referuntur, & multum in industria & conjecturis posita sunt, nec debent, nec possunt utiliter exquisitè tractari, &

stylo

stylo Metaphysico. Unde etiam inutile est quærere, an *locus definitionis* sit ipsa definitio, an respectus, an nescio quid.

Præterea; *Maximæ* non sunt *locus*, sed sunt quædam propositiones per se notæ, & potiùs principia seu ipsa argumenta, ut

*Cui convenit definitio, convenit definitum,*

non est *locus*, sed est ipsum argumentum, & in Syllogismo fit major. *Locus* autem non est ipsum argumentum. Et aliàs, Principia & axiomata essent, *locus*, quod & falsum est, & si quo modo verum esset, tamen valdè impropriè sic loqueremur.

Tertiò; etiamsi dicatur,

*Cui convenit definitio, convenit definitum.*

tamen hoc potiùs est ratio, cur ex definitione, sumi possit argumentum. Nondum verò ostenditur via quærendi, nisi dicatur sic vel simili modo: *Ut probes aliquid alicui inesse, videndum est, an definitio insit, si enim inest, tum & definitum, &c.* hoc jam est docere & ostendere, quomodo ex definitione promendum sit argumentum. Et sic Aristot. *locos* tractat, nempè non proponens ipsas nudè propositiones, seu ut vocant, *Maximas*, sed viam commonstrans. Et apud ipsum, quæ aliis sunt *maximæ*, sunt tantùm quædam rationes, cur ex tali *loco* sumi possit argumentum. Cujusmodi sunt similes, ut alii vocant, *Maximæ*;

*Sublatis partibus subjectis, tollitur totum.*
*Posito antecedente, necesse est poni Consequens.*
*Qualia sunt circumstantia, talem verisimile est esse rem quam circumstant.*

*Quod valet in uno similium, valet in cæteris.*

Hujusmodi & similes *Maximæ*, non tàm sunt Loci, quàm ipsæ propositiones, & quare ex loco definitionis possimus probare: inesse (eadem est ratio reliquorum) caussa est, quia *Cui convenit definitio, convenit definitum*; & cur ex loco antecedentium, caussa est, quia

*Posito antecedente, ponitur consequens.*

& cur ex loco similium, caussa est, quia, *Quod valet in uno similium, valet in cæteris.*

Sed ad quid respicere oporteat, ut occurrat argumẽtum, non docent hæ Maximæ, nisi valdè obscurè. Docet verò Arist. qui simul instruit, quid observare debeamus, quo observato tanquam moniti, inveniamus argumentum, ut ex tex. conspicuum est.

Demùm; quas vocant *Differentias Maximarum*, non tàm locus & receptaculum sunt argumentorum, (quod hîc quæritur) quàm propositionum & maximarum seu Axiomatum. Possunt enim *Maximæ* distribui in certas Classes, quas licet appellare *Differentias Maximarum*, sed non sunt *loci*, quatenus continent *Maximas*, sed quatenus, methodo adhibitâ ab Aristot. traditâ, possunt subministrare Argumenta.

Quid, quòd vsus locorum longè sit fusior, quàm significetur ejusmodi Maximis? At ista hactenus.

## ARTICULUS II.

## An sint aliqui universales Loci cuivis problemati utiles?

CONCLUSIO. *Sunt aliqui.* Et quidam enumerant viginti Locos, sic,

1. Descri-

Locum Definitionis, seu

1. *Descriptionis.*
2. *Notationis,*
3. *Conjugationis,*
4. *Partium,*
5. *Totius,*
6. *Caussarum,*
7. *Effectorum,*
8. *Antecedentium,*
9. *Consequentium,*
10. *Præcurrentium,*
11. *Comitantium,*
12. *Subsequentium,*
13. *Similium,*
14. *Majorum,*
15. *Minorum,*
16. *Parium,*
17. *Dissimilium,*
18. *Oppositorum,*
19. *Repugnantium,*
20. *Authoritatis divinæ & humanæ.*

Verùm, *Authoritas* non est Locus sed argumentum, & extra Theologiam imbecilla est, & est potiùs propositio probabilis, eo modo, quo suprà dictum, sententiam alicujus nobilis Philosophi, quæ etiam Thesis dicitur, pertinere ad propositionẽ probabilem. Deinde; *Adjuncta* divisa in *præcurrentia, comitantia, subsequentia,* non ad *Dialecticum*, sed ad Oratorem pertinẽt; sunt enim quædam circumstantiæ singularium, quorum non Philosophus, cui vicinus est *Dialecticus*, sed Orator rationem habet, & potissimùm, ostendunt factum ne sit nec ne?

Locus *descriptionis* quoad usum non benè distinguitur à definitionis loco, sicut nec locus *Oppositorum* & *repugnantium*.

Locus etiam *caussarum & effectorum* non tam est locus Dialecticus, quàm Analyticus & Demonstrativus, quem unicum demonstrator habet.

Itaque alii pauciores enumerant, sed & ipsi adjungunt Oratorios, aut minùs ad usum Dialecticum.

Aristoteles nusquam ita separatim recensuit *Locos*: neque id sine ratione, tum quia singuli ferè *loci* aliter & aliter in usum veniunt in singulis *problematis*, tum quia paucissimi sunt ita universales, ut universaliter tractari debeant. Voluit ergo Aristot. quia utilitas ità exigebat, singulos in singulis *problematis* explicare. Quemadmodum ob eandem caussam, quamvis omnis ferè quæstio possit revocari ad definitiuam quæstionem, *non propterea una in omnibus universalis Methodus quærenda est, neq; enim hoc facilè est inventu, & si fuerit inventum, talis Methodus esset omnino obscura & inutilis ad propositam tractationem*.

*At si propria singulorum Generum Methodus explicatur, facilè erit ex iis, quæ cujusque propria sunt, de re proposita disserere, ait ipse 1. Top.*

Quòd si tamen aliquis quærat, an ex Aristotele possimus colligere quosdã universaliores *locos*, Dicimus, si qui sint, esse maximè hos,

Et incipiendo à facilioribus & familiaribus,

1. *A Casibus & Conjugatis.*
2. *Ab Ortu & Interitu, & iis quæ efficiendi & corrumpendi vim habent.*
3. *A Comparatione.*
4. *A singularibus seu particularibus.*
5. *A Categoriis.*

6. *A Con-*

6. *A Contrariis.*
7. *A Genere & Specie.*
8. *A Definitione.*

Qua autem Methodo inde sumantur argumenta, constabit ex singulis Problematis

## *ARTICULUS III.*

## Qui loci valeant ad refutandum & confirmandum Accidens?

*CONCLUSIO.* Sunt ii, quos paullò pòst enarrabimus. qui sanè non solùm valent ad *accidens* propriè dictum, sed etjam & multò magis ad probandum, aliquid inesse, quia hîc nomine *accidentis*, intelligitur omne, quod quæritur, insit nec ne? Sunt verò aliqui *Loci* magis ad refellendum, quàm ad cõfirmandum, aliqui è contrà, alii denique ad utrumque, de quibus jam dicemus.

Primus est (ut sequamur ordinem, quem antea servavimus in universali locorum designatione) respicere *ad Conjugata & Casus*. Dicuntur autem *conjugata*, quæ sunt hujusmodi, ut Justum & justa, cum Justitia; & fortia & fortis, cum fortitudine, scilicet plura, nomina ejusdem Etymologiæ, aut saltem quoad rem sunt affinia & cognata, habent ve inter se habitudinem & relationem; Nam quæ vim efficiendi aut conservandi habent, sunt conjugata eorum, quorum sunt efficientia vel conservantia, ut sanitatis salubria.

*Casus* autem, sunt, sicut apud Grammaticos ejusdem nominis variationes, vel etiam adverbia, justè, fortiter, salubriter: & *Casus* sunt quodammodo *Conjugata*, non autem omnia *Conjugata* sunt *Casus*, præsertim ea, quę nomine differunt ut salubre & sanitas, quæ *Conjugata* sunt, sed *Casus* non sunt.

ſunt. Itaque *ad confirmandum videre oportet, An unum conjugatorum inſit, tum & reliquum inerit*, ut ſi fortiter agere laudabile eſt, fortis quoque laudandus eſt. ac ſi Philoſophia cæteris artibus anteſtat, Philoſophi quoque præferendi ſunt.

Ad refutandum, ſi enim unum ex conjugatis non ineſt, tum neque reliquum; ſi vitium non amamus, neque vitioſum; &c.

II. *Reſpicere oportet ad ea, quæ vim efficiendi, vel conſervandi, vel corrumpendi habent.*

Ratio verò eſt, quia, quæ efficiunt, vel conſervant, vel corrumpunt, ſunt quodammodo Cognata ſeu Conjugata: cum iis, quæ efficiuntur, conſervantur, vel corrumpuntur; dictum verò eſt ſuprà, quòd *quæ uni conjugatorum conveniunt, alteri quoq; ſuo modo convenire veriſimile eſt.* Itaque ſi ſanitas eſt bona & expetenda, ſalubria quoque, cùm ſint ſanitatis efficientia, vel conſervantia, ſunt expetenda. E contrà, Quę ſunt bona, eorum interitus eſt malus, & corrumpentia quoque ſunt mala, ut ſi pax eſt bona, quæ corrumpunt pacem ſunt mala.

III. *Reſpicere oportet ad ſimilia, quia ſimilibus veriſimile eſt ſimilia convenire, &* rurſus; *ſi in ſimilinm quopiam non itares habet, tum neq; in cæteris.* Itaque; ſi eſt una ſcientia multarum rerum, veriſimile eſt etiam eſſe unam opinionem multarum rerum: & ſi viſum habere, eſt videre, tum veriſimile eſt, auditū habere, eſſe audire. Si audire eſt aliquid recipere, non autē emittere, veriſimile quoque eſt, videre eſſe recipere. Si furari, eſt malum, quid ni etiam detrahere?

Huc pertinent etiam comparationes ſecundùm magis & minùs. Nam primò; *ſi cui magis videtur ineſſe, non ineſt. tum ne ei quidem veriſimile eſt, ineſſe, cui minùs videtur ineſſe*, ut, ſi beatitudo nō eſt in honorib. vel divitiis, multò minùs in iis, quę nobis cum beſtiis communia ſunt: Si Angeli æterni non ſunt, multò minùs cætera.

II. Si

II. *Si cui minùs videtur ineſſe, ineſt, multò magis ei, veriſimile eſt ineſſe, cui magis ineſſe videtur*; Si tactus fit per medium, multò magis reliqui ſenſus. Si Honor honeſtè appetitur, multò magis Virtus. Si erga extraneos indigos decet eſſe liberalem, multò magis erga amicos & propinquos.

III. Ex parte prædicati, *ſi quod magis videtur ineſſe, non ineſt, tum ne illud veriſimile eſt in eſſe, quod minùs videtur ineſſe*; ut ſi Mat. r a non eſt ens actu, multò minùs eſt ſubſtãtia actu: & ſi in Cerebro non eſt ſenſus, multò minùs intelligentia; & ſi divitiæ non ſunt ſimpliciter bonæ, multò minùs ſunt beatitudo.

IV. *Si quod minùs videtur ineſſe, ineſt, eidem veriſimile eſt, magis ineſſe, quod magis videtur.*

ut, ſi quid creſcit, multò magis nutritur; & ſi dentibus ineſt ſenſus, multò magis vita; & ſi inimici diligendi, multò magis ferendi.

V. *Si alterum alteri, cui magis videtur ineſſe, non ineſt, tum nec reliquum reliquo.*

Si cor non eſt principium venarum, neque Cerebrum eſt principium nervorum.

VI. *Si alterum alteri, cui minùs videtur ineſſe, ineſt, tum & reliquum reliquo.*

In his ergo comparationibus, vel unum de duobus dicitur, ut in prima comparatione, beatitudo de divitiis, & iis quæ nobis cum brutis communia ſunt; & æternitas de Angelis & reliquis præter Angelos, cum quibus reliqua comparantur in æternitate: ſimiliter in ſecundo. Vel duo de uno dicuntur, ut in tertio loco, ens actu & ſubſtantia de materia, ad quam comparantur. Itemque ſenſus & intelligentia comparantur ad Cerebrum; & in quarto loco, ſenſus & vita comparantur ad dentes. Vel denique duo de duobus dicuntur, ut in quinto loco, principium venarum de corde, & principium nervorum de cerebro. Itaque vel duo comparantur in u-

uno, vel duo ad unum vel duo ad duo. Et quemadmodum hoc fieri potest secundùm magis & minùs, ita etiam secundùm paritatem, ita ut *si unum duobus æquè vel insit vel non insit, id utrique vel neutri insit. Item, si duo uni æquè, vel insint, vel non insint, tum & reliquum vel inerit vel non inerit.* Hac argumentandi ratione sæpissimè utimur, & solemus urgere, dicendo, esse parem rationem. Quia verò facilè aut negatur paritas rationis, aut ostenditur qualis qualis disparitas, plerumque ex tali argumentandi methodo, contentiones & clamores excitantur, dum alter pertinaciter pugnat & vociferatur esse paritatem, alter vehementiùs negat. Itaque hoc loco est utendum tanquam *Dialectico*, non ut Demonstrativo, neque laudandi sunt, qui vel in disputationibus vel scholis, omne probationis suæ robur in hoc loco collocant.

*Quartus Locus est, à singularibus seu particularibus:* videndum scilicet est, an alicui non insit, si omnibus inesse dixit: *Quod enim inest omnibus, necesse est, ut nihil sit ex singularibus seu particularibus, cui non insit.* Videndum est igitur, an alicui non insit, ut si oppositorum eandem scientiam esse dixit, considerandum est, an relativorum, contradictoriorum sit eadem scientia. Item, si omne animal respirare, dixit, videndum est, an Pisces respirent.

Facienda est verò divisio usque ad individua & ultima, ut in primo exemplo, an relatorum sit eadem scientia. & si hoc non statim apparet, oportet dividere Relata, & videre an dupli & dimidii sit eadem scientia, & sic deinceps.

Eadem est ratio, cùm nulli inesse dixit, videndum est an alicui insit, ut si Nihil sciri dixit, videndum est, an aliquid sciatur, ut hoc ipsum Nihil sciri, sciri potest, si verum est, Nihil

sciri

sciri posse. Nec interest, an apertè omni aut nulli inesse dixerit, dummodo aliquid de altero affirmaverit vel negaverit, quia statim verisimile est, de omni aut nullo affirmâsse vel negâsse, si nihil adjecerit, ut qui Animam ignem esse dixit, censetur de omni anima id dixisse.

Cæterùm; quemadmodum refutamus aut confirmamus dividendo subjectum, ut dividendo opposita, & si cui oppositorum generi non inest, colligimus falsum esse, quòd oppositorum sit eadem scientia; ita etiam prædicatum dividere possumus. Ita I. Phys. refutat Aristot. eos, qui dixerunt, Ens esse unum & non multa: quærit enim, qua unitate ens sit unum, an numero unum, an ratione, an nomine sicut indumentum & vestimentum! Quare, cùm nec nomine, nec ratione, nec re sit unum, colligit eos dixisse falsum. Eadem methodo colligit alicubi, Movens & motum esse simul, nam & alterans & alteratum, quod auget & augetur, quod fert & fertur, sunt simul. Valet ergo hic *locus* non solùm ad refutãdum, sed etiam ad confirmandum; si nimirum omnibus aut plerisque inest, aut concedendum est omnibus inesse, aut postulabitur objectio seu instantia, ut dicatur, cui non insit. Et quoad hanc partem, hic modus confirmandi non est dissimilis Inductioni, nisi quòd hîc satis est, cùm multis inesse ostensum est, quia statim verisimile est inesse omnibus, nisi aliquid objiciatur, at cum est perfecta Inductio, non potest facilè aliquid objici.

*Quintus locus est, videre an & in qua sit Categoria*, necesse est enim ut quæ sunt propria illius *Categoriæ*, huic quoque conveniant, quod sub tali *Categoria* comprehẽditur; qui enim Animam dicit Calorem, refutatur, quia Anima est substantia; & qui superficiem & universim Mathematica

dicit esse substantias, refutatur, quia sunt in subjecto & in substantia.

*Sextus locus est à Contrariis.* Ac primò, considerandum est, an contrarium insit; si enim contrarium inest, tum hoc nō inest, quia contraria non simul eidem insunt. Si autem contrarium non inest, verisimile est hoc inesse, maximè, si non est facilè dare medium.

Rursus videndum est, an contrarium contrario sit consequens: ut scire volens an fortitudo sit virtus, considerare debet, an contrarium fortitudini sit vitium. Est autem fortitudini contraria Ignavia, quæ est vitium, ergo fortitudo est virtus: & iterum ignavia est vitium, si fortitudo contraria, est virtus. Similiter, Opinio non est scientia, hanc enim sequitur rei necessitas, quæ enim scimus, aliter habere non possunt; at opinio de contingentibus.

Porrò; hæc consecutio vel est *Directa*, vel *Inversa*. *Directa* in superioribus exemplis, nam fortitudinem consequitur virtus, & Ignaviam consequitur Vitium. Item sanitatem consequitur bona habitudo, & morbum mala habitudo. Similiter; in privativè oppositis, visum sequitur sensus, & cæcitatem privatio sensûs; & id quod movetur, sequitur esse in actu, quod verò quiescit, sequitur esse in potentia. Item in Relativè oppositis, contrarium contrario plerumque recto ordine est consequens, nam ex opposito subjecti relativi sequitur oppositum, ut si visus est sensus, tum visibile est sensibile, & si scientia est existimatio, scibile est existimabile. Verùm non semper, non enim si Pater est bonus, filius malus: sicut nec in contrariis semper; non enim si bonam corporis habitudinem sequitur sanitas, malam habitudinem sequitur morbus; nec si Audacia est vitium, Ignavia est virtus; nec si nihil dare est vituperabile, omnia dare est laudabile.

Hæc igitur consecutio *directa* dicitur, *cùm ex opposito subje-*

*ſubjecti*, ut ex oppoſito fortitudinis, *colligitur oppoſitum prædicati*, ſcilicet vituperabile, ut ſi fortitudo eſt laudabilis, Ignavia eſt vituperabilis.

*Inverſa* autem *conſecutio* dicitur, *cùm ex oppoſito prædicati ſeu conſequentis, colligitur oppoſitum ſubjecti ſeu antecedentis*, ut ſi homo eſt, animal eſt, & ſi animal nõ eſt, homo non eſt. Quod ſemper valet in contradictoriis; at in cæteris oppoſitis non ita, ut antea jndicatum eſt. Et hinc etiam apparet, non ſemper valere in contrariis: non enim ſi Motus eſt diviſibilis & in tempore, Quies eſt indiviſibilis & in inſtanti; demonſtrat enī Ariſtot. utrumque eſſe diviſibilem & in tempore.

Eſt igitur *locus Dialecticus*, non verò Analyticus, utilis tamen locus ad ſententias, & redargutiones, quia multùm accedit ad contradictionis principia: & valdè veriſimile eſt contrarium ex contrario ſequi, ſicut ex contradictorio conſequētis, ſemper ſequitur antecedentis contradictorium. Valdè etiam probabile eſt, & veriſimile apparet, Contraria nec ſimul eſſe, nec ſimul non eſſe, ſicuti contradictoria nunquam ſimul ſunt, & nunquā ſimul non ſunt: & propterea, Contradictionis principium eſt primum & univerſale principium, non ſolùm refutandi & confirmandi, ſed etiam Demonſtrandi.

*Septimus locus eſt à Genere & Specie*: Conſiderare namque oportet, an accidat Generi, ſi enim non accidit Generi, tum neque ſpeciei. Quia Genus comprehendit ſpeciem. Irem, an accidat ſpeciei, Quod enim accidit ſpeciei, accidit etjam Generi. Atque hic locus eſt cæteris non nihil accuratior: ſicuti enim in Demonſtratione medium & extrema ſunt ſibi mutuò in definitione, & proinde faciunt propoſitionem exactè neceſſariam; ita *Genus* eſt de eſſentia *Speciei*, & *Species* eſt pars *generis*, efficiunt idcirco propoſitionem quodammodo neceſſariam, quodammodo inquam, quia *Genus* latiùs patet *Specie* & *ſpecies genere* eſt anguſtior; in propoſitione autem exactè &

ctè & demonſtrativè neceſſaria, termini cum Medio convertuntur & reciprocantur, ut notum ex Poſt. Anal.

Itaque, quæ conſequuntur animal ſanguineum, conſequuntur etiam animal, ſaltem indefinitè. & qnæ non inſunt animali, nec ſanguineo inſunt. Eadem eſt ratio de cæteris. Et quia, quibus *genus* attribuitur, etiam *ſpeciem* aliquam attribui neceſſe eſt, & quæcunque habent *genus*, vel de quibus *genus* denominativè prædicatur, etiam *ſpeciem* aliquam habere neceſſe eſt, vel denominativè aliquam *ſpeciem* de iis dici; ſiquid igitur poſitum eſt *genus*, conſiderare oportet, an *ſpeciem* aliquam habeat, vel an *ſpecies* aliqua de eo denominativè dicatur, ut, ſi motus denominativè dicitur de anima per moveri, neceſſe eſt, aliquam ſpeciem motûs denominativè dici de Anima, ita ut poſſit dici alterari, vel augeri, vel moveri ſecundùm locum.

*Octavus locus eſt à Definitione*: oportet enim definire accidens, ſeu id, quod alicui attribuitur, & videre num definitio inſit. *Cui* enim *Definitio, & definitum convenit: & cui non convenit definitio, ſeu de quo non poteſt dici Definitio, de eo nec definitum dici poteſt.* ut ſi problema ſit, DEUM poſſe injuriâ affici. oportet definire, quid ſit injuriâ afficere, nam ſi ſit, nocere ſponte, manifeſtum eſt, DEUM non poſſe injuriâ affici, quia DEO noceri non poteſt.

Sed quomodo iſte *locus* non eſt demonſtrativus, cùm Medium demonſtrativum nihil aliud ſit quàm *Definitio*? ergo à Definitione argumentari eſt demonſtrare? Reſp. multiplex eſt differentia: nam primò; non quælibet *definitio* eſt medium demonſtrativum, ſed ſolùm, quæ ſimul eſt *definitio majoris extremi*, ut in Log. docuimus: hîc autem intelligitur quælibet definitio ſive majoris, ſive minoris extremi. Unde ibidem oſtenſum eſt, *definitione minoris extremi* peti principium, & ſic eâ non demonſtrari propoſitum: veriſimiliter tamen & *Dia-*

*lectícè* concludi. II. non quælibet *majoris extremi definitio*, eſt medium demonſtrativum, niſi conſtet unâ ex quatuor Cauſſis: quælibet verò *definitio*, poteſt eſſe medium logicum ſeu *Dialecticum*. Demum; hoc loco non requiritur exacta *definitio*, unde facilè ex definitione *Dialectícè* argumentari licet. *Cui verò non ſuppetit argumentorum copia ad theſin pertinentium, ait Ariſt. is conſiderare debet ex definitionibus quæ ſunt, vel eſſe videntur, rei propoſitæ, & ſi ab una non poſſit, à pluribus petat. Iis enim qui rem definierint, faciliùs erit argumentari, quippe cùm adverſus definitiones facilior ſit argumentatio.*

Sunt quædam alia, non tam ad inveniendum argumentum, quàm ad faciliùs diſputandum, ut primò; obſcurum nomen commutare in aliud notius, vel è contrà. Secundò; Ducere adverſarium ad id, de quo nobis argumentorum copia ſuppetit. Quod, quando non eſt neceſſarium, vitari debet. Tertiò; Transferre nomen ad Etymologiam & ſimilia. Verùm iſta hactenus.

## *ARTICULUS IV.*

### Qui ſint loci Accidentis comparati?

HIc non quærimus *locos* ad quaſcunque *comparatas* quæſtiones, ſed ad illas, quæ in genere boni & mali verſantur, quia frequentiùs de his quærunt homines; non verò, utrum altero ſit candidius, utrum alterum altero ſit frigidius. Nam primò; ſimiles quæſtiones ex iiſdem locis cognoſci poſſunt, ex quib. abſolutæ. Secundò; habent in propriis ſcientiis propria principia: at verò, utrum melius aut magis eligendum, habet alios quoſdam locos: & cùm ſit quidpiam valdè univerſale, & ſæpiſſimè cadens in diſceptationem, penè de omnibus quæri poteſt, & ſic *loci* quidam univerſales deſignari poſſunt.

CON-

*CONCLUSIO* Primùm quidem, ea ſunt meliora, & optabiliora, quæ vel omnes, vel plerique, vel ſapientes aut in arte aliqua periti, ſive omnes, ſive plerique eligunt: ut in arte medica meliora ſunt, quæ vel omnes vel plerique medici eligunt; & Beatitudo eſt melior divitiis, quia beati omnes eſſe volunt.

II. Magis eligi debet, quod eſt per ſe quàm quod eſt per accidens: & quod eſt per ſe cauſſa boni, quàm quod per accidens; & quod eſt ſimpliciter bonum, quàm quod eſt ſecundùm quid, ſeu huic, ſeu hoc tempore; & quod eſt naturâ bonum, melius eſt eo, quod non eſt naturâ bonum. Virtus ergo potiùs eſt eligenda, utpote per ſe & ſimpliciter bona, quàm honor aut divitiæ.

III. Quia bonum eſt finis, melius eſt quod finis eſt ipſe, quàm quod eſt ad finem; & melius quod ad finem propiùs accedit, & quod ad meliorem ſeu univerſalem finem refertur, ut quod ad beatitudinem, melius eo, quod ad ſanitatem.

IV. Ex locis univerſalibus, ſuprà enumeratis, ut ex *Conſequentibus*: cui enim conſequens eſt majus bonum, melius eſt: item ex *Generationibus*, & *corruptionibus*, & *contrariis*: quorum enim corruptiones ſunt fugiēdæ, ea ſunt magis eligenda, & cujus contrarium eſt magis fugiendum, illud magis eligendum, ut magis eſt fugiendus morbus, quàm jactura pecuniæ, quare & magis eligenda ſanitas, quàm divitiæ. Contrà fit in *Generationibus*, quorum enim generationes magis eligendę, ea meliora ſunt, ut pacis generatio magis eligenda quàm belli. Similiter à *Caſibus*, *Vſibus* atque *Actionibus*, & *operibus*: veluti, ſi juſtè agere eſt optabilius quàm fortiter, tum etiam Juſtitia eſt optabilior fortitudine, quàm viceverſa. Atque hi ſunt præcipui loci, quos etjam conandum eſt facere, quàm maximè univerſales, veluti, melius eſt quod videtur viro juſto, dicatur univerſim, melius eſt, quod viro bono aut perito videtur.

Com-

# COMMENTATIO II.

## *DE LOCIS GENERIS.*

Dictum est suprà, quæstionum *Dialecticarum* esse IV. genera, ut *Accidentis, Generis, proprii, Definitionis.* Jam post locos *Accidentis* [quos idcirco priùs exposuit Arist. quia ad quæstionẽ *accidentis* aliæ quodam modò revocantur, Omnes enim quærunt, an aliquid insit nec ne, & proinde loci *Accidentis* sunt plerisque communes] enumerandi *sunt loci*, unde sumamus argumenta ad probandum aliquid esse *Genus*, vel ad *Genus* refutandum: faciliùs enim probatur *Genus* quàm *Proprium* & *Definitio*, & ut quidpiam sit *Proprium* vel *Definitio*, plura exiguntur, quàm ut sit *Genus*, & Loci *Generis* sunt quasi elementa & principia Locorum *Proprii* & *Definitionis.*

### *ARTICULUS I.*

### Qui sint loci ad refutandum Genus, ex ipsa natura Generis, & ex eo, cujus Genus quæritur?

*CONCLUSIO. Genus refutari potest vel ex Notione Generis, vel ex eo, cujus Genus quæritur.* Si enim quæ Generi ut Genus est, conveniunt, non insunt ipsi A. tum A. non est Genus ipsius B. *Genus* autem est, id, quod dicitur de pluribus specie differentibus in quæstione Quid est: quare primò considerandũ est, an quod ut genus sumptum est, dicatur in quæstione Quid, de iis, quorum Genus esse dicitur. Sic Album non est Genus Nivis, quia non dicitur de Nive in quæstione Quid est.

Secundò; consideradnum est, an dicatur univocè seu eadem ratione.

Tertiò; An de pluribus, & quidem de omnibus, quorum Genus esse dicitur, quare si qua voluptas non est bona, tum bonum non est voluptatis Genus.

Quartò; An latiùs pateat, unde Ens non est Genus opinabilis, cùm latiùs pateat opinabile quàm Ens.

Quintò; An *Genus* Generis insit in quæst. Quid est, ut, si quis dixit scientiam esse Genus Visûs, videndum est, an Genus scientiæ dicatur de Visu in Quid: Genus autem scientiæ est habitus, qui non dicitur de visu in Quid, visus enim non est habitus, sed potentia quædam. Atque hi & similes Loci sunt ex natura Generis, quà Genus est. Jam ex eo, cujus *Genus* quæritur: Primò videndum est, an cujus Genus quæritur, possit habere *Genus*, aliàs frustra Genus quæritur. Ens non potest habere Genus.

Secundò; An id, cujus *Genus* quæritur, dicatur de aliquo, de quo non dicitur Genus propositum; ut Ens non est Genus opinabilis, quia Opinabile dicitur de aliquo, de quo non dicitur Ens, quia etiam Nonens est opinabile.

Tertiò; an id, cujus *Genus* quæritur, habeat aliquam speciem Generis propositi, ut si voluptas non habet aliquam speciem motûs, tunc Genus voluptatis non est motus. Sic etiam, an habeat aliquam differentiam Generis.

## *ARTICULUS II.*

## Qui sint loci Generis confirmandi, ex iis, qui suprà in accidente tanquam generales positi sunt?

*CONCLUSIO.* Ad Generis quæstionem maximè juvant hi. Primò ex *Casibus* & *Conjugatis*, ut, an id, quod ut Genus

positum est, similiter in cæteris casibus & conjugatis consequatur; ut, si Justitia est scientia quædam, adeoque si scientia est Justitiæ Genus, etiã justè est scienter, & justus est sciens, Quòd si quid horum non est, verisimile est nec illud esse.

Et sicut suprà ad *Conjugata* retulimus ea, quæ habent vim efficiendi, gignendi & corrumpendi, item Generationes & corruptiones, ita & hîc. Unde, si corruptivum est dissolutivum, tum & corruptio est dissolutio: & si generativum est activum, seu effectivum, etiam Generatio est effectio. & si ædificare est agere, etiam ædificâsse est egisse. Huc etiam pertinent Actus & Habitus; item Usus & facultas seu potestas. Nam actus non est genus habitûs, & usus non est Genus facultatis, nec è contra. Porrò; hic locus magnum usum habet apud Græcos propter derivationis facilitatem & copiam, quæ apud Latinos tanta non est.

Secundò; Seu potius, Tertiò, locus est *à comparatione*, qui locus satis ex suprà dictis de accidente, intelligitur.

IV. *A singularibus & particularibus*; si enim animal est genus, necesse est, ut animal dicatur de pluribus, & ut habeat species, & rursus; si de multis singularibus seu particularibus dicitur, verisimile est esse Genus.

Quintò; *à Categoriis*: necesse enim est ut Genus sit in eadem Categoria cum eo, cujus est Genus, & viceversa.

Sextò; *A Contrariis*: Nam si idem potest esse contrarii generis particeps, tum hoc non est genus; ut si Ira dicatur esse vitium, videre oportet, an possit esse virtus. Item, *ex privativè oppositis*: nam privatio non est in eodem genere proximo cum habitu: sensitivum est genus visivi, non autem cæcitatis.

Item, *ex contradictione oppositis*, nam ex negatione Generis, licet negare speciem. ut, si bonum est Genus Jucundi, tùm quod non est bonum non est jucundum.

Item ex *Relativè oppoſitis*: Nam ſi id, cujus *Genus* quæritur, eſt ad aliquid, tum etiam *Genus* eſt ad aliquid, ut ſi ſcientia eſt ad aliquid, tum etiam eius Genus, nempe Habitus eſt ad aliquid (& ſaltem eſt ad aliquid ſecundùm Dici,) Non autem vice verſa, ſi *Genus* eſt ad aliquid, tnnc etiam ſpecies: Nam ſcientia eſt ad aliquid, (ſecundùm Dici) Non autem Grammatica.

Sunt etiam alii Loci, ſed hi ſunt potiores, quamvis & eorum plerique patiantur aliquando Inſtantiam, ſeu Exceptionem, ſed *Dialectico* ſatis eſt, ſi ſaltem in multis ita habeat, & pleraque *Axiomata Dialectica* intelliguntur ita ſe habere veroſimiliter, ut proinde perperam faciant, qui in diſputationibus non ſine altercandi ſtudio, totum negotium ſimilibus Axiomatis conficere conantur.

# COMMENTATIO III.

## *De Locis Proprii & Definitionis.*

*Proprium* & *Definitionem* conjungimus, tum quia habent multa communia, tum quia utrumque cum re convertitur ſeu reciprocatur, tum denique Quia in utroque eſt duplex refutandi methodus. Vel enim refutando dicitur, quòd non ſit *proprium* aut *Definitio*; vel quòd non rectè expoſitum. Cùm enim *proprium* & *Definitio*, ſint diſcendi & cognoſcendi cauſsâ (nam ex *Proprio* & *Definitione* cupimus cognoſcere) etiamſi fortè quod poſitum eſt, *Proprium* ſit, aut *Definitio*; ſi tamen minùs idoneum eſt ad cognoſcendum, reprehenditur & refutatur.

Diffe-

Differunt verò, *Proprium* & *Definitio*; quia *Definitio* declarat Quid res ſit: *Proprium* verò non declarat Quid res ſit, ſed cum re reciprocatur & convertitur.

*Proprium* quidem dicitur, vel per ſe & ſimpliciter, adeóque ſemper; vel ſecundùm Quid, & per Accidens & aliquando: ut interdum proprium eſt hominis, moveri, ſi ſolus moveatur; & proprium Hominis eſt, eſſe bipedem, non abſolutè, ſed comparativè ad multas beſtias; & proprium Hominis eſt, quod ſoli ineſt: ſi tamen non ſemper ineſt, non eſt ſimpliciter proprium, ut eſſe Grammaticum: Hæc ſimpliciter ſunt potiùs Accidentia. Loci igitur pro *Accidente*, ſunt etiam pro ejuſmodi *proprio* ſecundùm Quid. Quod autem omni, & ſoli, & ſemper ineſt, ſimpliciter eſt *Proprium*; Cujus etiam ſunt peculiares *Loci*, ut, videbimus, priùs dicturi de locis *Proprio* & *Definitioni* communibus in eo, quòd non rectè & ad cognoſcẽdum ſint poſita.

## *ARTICULUS I.*

## Qui ſint loci Definitionis, & proprii, an benè & rectè ſint poſita?

*PRoprium* aut *Definitionem* non eſſe rectè poſita, habet duas partes: Unam; ſi ponens, obſcura interpretatione uſus ſit; oportet enim eum, qui definit, aut deſcribit, quoad eius fieri poteſt, clariſſimâ interpretatione & dictione uti, quia cognoſcendi cauſsâ, *Definitio* & *Proprium* traditur. Alteram; ſi plus in *Definitione* vel *Deſcriptione* dixit, quàm oportuit.

*CONCLUSIO.* Primus Locus probandæ *obſcuritatis* eſt, ſi ſit aliquod verbum æquiuocum, ut ſiquis in *Definitione* dixit, ſani-

xit, ſanitatem eſſe ſymmetriam, ſeu Concentum, eleganter quidem, ſed obſcurè; aut paſſionem animi eſſe morbum; Hujus Generis *definitiones* reperies paſſim; & apud Alcuinum noſtrum in diſput. cum Regali & nobiliſſimo Juvene Pipino: qui cùm inter cætera interrogat, Quid eſt ſomnus? Reſp. Alcuinus; Mortis imago. Quid eſt corpus? Domicilium Animæ. Quid ſunt Comæ? Veſtes capitis. Quid ſunt labia? Valuæ oris. Quid ſunt crura? Columnæ corporis. Quid eſt Luna? Oculus noctis. Quid eſt Annus? Quadriga mundi.

Itaque Nomine aut Oratione multa ſignificante, non eſt utendum, ait Ariſtot. Quia quod multis modis dicitur, obſcurum eſt.

Confirmatur autem *Definitio* & *Proprium*, ſi nec ullum nomen, nec tota oratio plura ſignificet: nam quoad hoc rectè erunt poſita. Porrò; Eadem eſt ratio, ſi *Definitum* aut cujus *proprium* traditur, ſit æquivocum, & nulla priùs ſit tradita diſtinctio, obſcurum eſt.

Quòd ſi fortè dicas, translata nomina eſſe *Definitionibus* accommoda, quia ſimilitudo [quæ in translatione reperitur] rem illuſtrat. Reſp. Similitudo habet quidem aliquam manifeſtandi vim, luce quàſi alienâ, non autem propriâ: *Definitione* autem & *proprio* cupimus rem cognoſcere, ut in ſe eſt & quaſi luce propria. Hinc etiam ſimilitudines imperitis utiles ſunt, ſed Docti *Definitiones* quærunt.

Secundò; Obſcurè definit, qui non utitur poſitis & uſitatis nominibus, ut Plato definivit Oculum Ciliumbrem, aut ſiquis alius, Araneam Putri-mordacem, aut Medullã Oſſi-geneã: Omne nomẽ inuſitatũ, obſcurũ eſt. Et ſanè, univerſim cavere debẽt Philoſophi à nimia vel fingẽdi, vel derivãdi vel cõponendi vocabula conſuetudine, primũ namque docendi principiũ eſt, ſupponere loquendi usũ & nominũ ſignificationem, alioqui diſcendi labor duplicatur, quo in genere

nere quidam ſuperiorum ſæculorum nimium ſibi indulſerunt: Philoſophia nec calamiſtrata, nec barbara eſſe vult. Illud tamen prohibet nemo, quò minùs novis rebus nova dentur vocabula, dummodo ad normam Linguæ, quâ loquimur. At hæc hactenus.

Tertiò; Obſcuritas eſt in *Definitione* ac *Proprio*, ſi adſit nomen aliquod omninò improprium, ſcil. nec æquivocum ex Relatione, neque ex ſimilitudine (Æquivoca ex relatione ſunt, quæ talia dicuntur ex aliquo primo, ad quod ſunt aliquo modo affecta, ut color ſanus ex ſanitate animalis: Æquivoca ex ſimilitudine, quę talia dicuntur ex ſimilitudine aut Metaphora, veluti concentus Temperantiæ) & hoc modo non rectè definitur Lex *Imago*, cùm nulla ſit inter imaginem & legẽ, ſimilitudo, niſi fortè admodum univerſalis.

Primus Locus ſuperfluitatis in *Definitione* aut *proprio* eſt, ſi poſitum eſt, quod vel omnibus ineſt, vel quo ſublato nihilominus manet Definitio aut proprium.

Secundò; ſi quid poſitum eſt, quod non convenit omnibus.

Tertiò; videndum eſt, an definierit ex Prioribus & notioribus: Nam *Definitio* & *proprium* ſunt cognoſcendi cauſſâ, at ex ignotioribus non cognoſcimus: Si autem notiora ſunt, & non priora, tum ſunt tantùm notiora quoad nos, & quæ, utpote ſenſibilibus propiora, multi & vulgus facilè & citò cognoſcunt. Nec ſecundùm naturam ignota, per ſe & ſimpliciter manifeſtantur per poſteriora, & ea, quæ ſunt tantùm notiora quoad nos; nec quieſcit ratio, donec rem ex naturâ notioribus cognoſcat.

Quanquam apud eos, qui ex talibus cognitionem adipiſci nequeunt, neceſſe eſt fortaſſe, Definitionem conficere ex iis, quæ illis nota ſunt; Tales *Definitiones* ſunt Puncti & Lineæ & Plani: dicunt enim Punctum eſſe Terminum Li-

num Lineæ, & Lineam terminum Plani, & Planum terminum Solidi, exposterioribus definientes. At simpliciter notum est, non id, quod omnibus notum est, sed quod notum est, iis, qui ratione benè constitutâ sunt prædíti, quemadmodum & simpliciter salubre, id, quod est salubre iis, quorum corpus benè affectum est.

Verùm; Quandonam *Definitio* non est ex notioribus simpliciter? Primò; Si oppositum per oppositum definitur. Nisi fuerit relativum, nam hoc sine opposito definiri non potest. Itaque non rectè definitur Bonum per malum, & opposita sunt simul naturâ. Nec *proprium* rectè traditur, si quis dicat, Boni proprium esse, quòd malo maximè opponitur. Et universim *Definitio* non est ex prioribus, si est ex iis, quæ sunt simul naturâ.

Secundò; Si in *definitione* adhibuit quis ipsum definitũ, superfluè locutus est; ut si quis Solẽ definiens, dixit, Astrum interdiu perspicuum, seu lucens: qui enim dixit *Interdiu*, jam usus est sole, cùm dies dicatur Motus solis supra Horizontem.

Eadem est ratio *proprii*; Nam & hoc notius esse debet eo, cujus est proprium. Itaque dicere, Proprium esse Ignis, quòd Animæ simillimus sit, non est rectè ponere proprium, quia Anima est ignotior Igne. Item dicere, Proprium esse Animæ nostræ, quòd sit participatio divinæ mentis, vel quòd Cælum sit separatarum substantiarum locus seu regio; sic inquam dare proprium, est per ignotius dare.

Atque hi loci non simpliciter refutant vel confirmãt aliquid esse proprium vel Definitionem, sed secundùm quid, id est, non esse rectè positum Proprium vel Definitionem.

ARTI-

## *ARTICULUS III.*

## Qui-nam ſint Loci, ex quibus ſimpliciter refutatur vel confirmatur Proprium, aut Definitio?

*CONCLUSIO.* Refutatur primò *Proprium*, ſiquid non omni ineſt. Ita Grammaticum non eſt proprium hominis, cum non inſit omni.

Secundò; Si quid non ineſt Soli, proprium non eſt.

Tertiò; Nec etiam eſt *Proprium*, ſiquid non ſemper ineſt. Sunt autem aliqua, quæ ſignificant poteſtatem, & actum, & ſecundùm poteſtatem ſemper inſunt, non verò ſecundùm actum, ut Intelligere, quod ſignificat & poſſe intelligere, & actu intelligere; illud, ſemper ineſt homini, hoc autem minimè, non enim homo ſemper actu intelligit. Sic etiam ſentire, & multa alia hujus generis, & poteſtatem & actum ſignificant, cúmque ponuntur in definitionibus, non pro actu ſed pro poteſtate ſumuntur. Quædam, etiamſi non inſunt ſoli, abſolutè poſita, tamen cum ablativo *Naturâ*, Soli inſunt, ut Igni proprium eſt, calidum eſſe ſuapte naturâ, quamvis alioqui calidum eſſe, commune ſit. Ita & lapidi moveri ſurſùm, ineſt, ſed non naturâ.

Loci *Definitionis*, ex definitionis naturâ ſunt hi.

Primò; ſiquid non eſt poſitum in Genere, non eſt rectè definitum, quia omnis Definitio ex Genere conſtat.

Tertiò; Sumendum eſt Genus proximum; nam per remotum Genus definire vitioſum eſt, quia ſi Genus proximum dicatur, dicuntur eo ipſo omnia ſuperiora, ut non ſit opus enumerare Genera ſuperiora: & Genus proximum magis explicat Quidditatem definiti. ut animal magis explicat, Quid ſit

Homo, quàm Corpus. Tertiò, videre oportet, an definiverit per differentias proprias. Quartò; An tota definitio conveniat omnibus, quæ ſub definito continentur.

Quintò; Cùm ea, quæ ſunt in definitione, debeant eſſe Idem cum definito, juvat conſiderare, An ſit Idem. Tribus autem modis dicitur aliquid Idem, ut docet Ariſtot. 1. Top. Aut enim *Numero*, aut *Genere*, aut *Specie* Idem dicimus. *Numero* quidem, cùm nomina ſunt plura, res autem una, ut *indumentũ. & veſtimentũ*. Nam hæc nullã differentiam habent, vel diverſitatem, niſi nominum, una inquam res, nomina duo; *Specie* autem idem ſunt, quæ etſi aliàs ſunt plura, etiam re & numero; tamen ſpecie non differunt. Ita *duo homines*, ſpecie idem ſunt, quia ſub eadem infimâ ſpecie ſunt. *Genere* idem ſunt, quæ etſi ſpecie multa ſunt, tamen ſub eodem Genere ſunt, ut *Homo* & *Equus*. Ex his autem, maximè & omnino ſimpliciter Idem, ſunt, quæ idem ſunt numero. Idem tamen numero, pluribus etiam modis dici poteſt; Quædam ſic ſunt idem, ut omnino ſint idem, ut nec ratione differant, ut *animal rationale* & *Homo*; item *Indumentum* & *Veſtimentum*. Quædam ſunt idem numero, quia idem ſunt ſubjecto, quamvis ratione differant, ut quæ idem dicuntur ſecundùm Proprium, v.g. *Grammatices ſuſceptivum* & *Homo*, *Riſibile* & *Homo*. item quæ idem dicuntur, ut accidens cùm ſubjecto, v. g. *Sedens* & *Socrates*, *Muſicum & Orpheus* ſunt idem numero, ſed differunt accidente. Et familiare eſt Ariſtoteli, quòd aliqua ſint idem *ſubjecto*, & differant *ratione*: ſic docet 3. Phyſ. Actionem & paſſionem eſſe idem *ſubjecto*, & proinde Numero, ſed differre *ratione*, Materiam & Privationẽ, eſſe *ſubjecto* Idem, ſed *ratione* differre, ex 1. Phyſ. ita Nutritionẽ & Augmentationem eſſe *ſubjecto* Idem, & alibi paſſim. Hæc phraſis eſt etiam uſitata Doctori Angelico: qui tamen addit, q. 3. Verit. a. 2. ad 3. *Diſtinctionem inter Sortem & Sortem ſedentem, reduci ad aliquam diverſitatem rei.* Quod *Modorum* defenſores, ſic

accipiunt,

accipiunt, quasi S. Doctor, ideo hanc distinctionem revocet ad diversitatem rei, quia Sortis sedentis sessio sit *Modus*. Itaq; sessionem, non quidem realiter distingui à Sorte, distingui tamen modaliter, & idcirco hanc distinctionem à S. Thoma, revocari ad distinctionem realem, ajunt. Verùm; hoc non dicitur scienter: nam S. Thomas idem dixisset de *Sorte* & *Sorte Musico*, de *Sorte* & *Sorte albo*, quod dixit de *Sorte* & *Sorte Sedente*; Hæc enim est phrasis Aristoteli & S. Thomæ perpetua, ut dicant, subjectum & accidens differre *ratione*, seu quidditate (hoc enim significat ratio) non autem differre *subjecto*, sed subjecto & numero esse idem. Et tamen adversarii docent, plerumque subjectum & accidens, non solùm *ratione* & quidditate, sed & realiter distingui, ut Socratem & Musicum & similia, eò quòd virtute divinâ possint esse seorsim, ducto argumento exaccidentibus Eucharisticis. Verùm; ut pingui Minerva hac de re disseramus (cùm alioqui sit speculationis Metaphysicæ) de rebus loquendum est, ut sehabent secundùm naturam pro, priam, quia hoc est simpliciter loqui; alterum verò, comparatè ad divinam omnipotentiam, est loqui quasi secundùm quid, & nimis remotè; non enim, quia substantiæ spirituales, possunt à Deo destrui, dicimus, eas esse Corruptibiles; nec, quia homo divinitùs Immortalis esse poteſt, nõ dicimus, Hominem mortalem. Ita in proposito, non si accidens divinitùs separari poteſt, dicendum est simpliciter, inter subjectũ & accidens, præsertim absolutum, esse realem distinctionem; & illud, *posse divinitùs separari* non est, nisi potẽtia *Obedientialis*, ut Theologi loquuntur. Præterea; Quæ *subjecto* sunt idem, numero, ac proinde re sunt idem, ut hîc docet Aristoteles, & meritò; quia non nisi subjecta numerabilia sunt & plura sunt, & multitudo est rerum, quæ sunt hoc aliquid, duo enim sunt hoc & hoc: Accidens autem & subjectum subjecto sunt idem, & sunt idem hoc; & pro pterea subjectum adventu accidentis, non fit

*aliud ſimpliciter*, ſed fit, *tale*, manente eodem numero, ut vel ex I. de Gener. notum eſſe poteſt, ergo non debet ſubjectum & accidens, dici, *Realiter* diſtingui, ſed tantùm *ratione* & quidditate. Sed; quare S. Thomas, hanc rationis pluralitatem, in quibuſdam reducit ad diverſitatem rei? Quia diverſitas ſubſtantiæ & accidentis, eſt quædam diverſitas rei, ut ibidem patet ex contextu. Ex quo iterum refelluntur adverſarii: non enim reducit S. Thomas *Socratem* & *Socratem ſedentem*, ad diverſitatem rei, quia alterum ſit *Res*, alterum *Modus*, ſed quia alterum eſt ſubſtantia, alterum accidens. Igitur ſi alterum eſt ſubſtantia, alterum accidens; ex mente S. Thomæ, horum differentia ſecundùm rationem, reducitur ad aliquam diverſitatem rei. At verò, ex mente adverſariorum, non ſi alterum eſt ſubſtantia, alterum Accidens, reducitur hæc differentia ſtatim ad aliquam diverſitatem rei, ſed ſi alterum eſt *Res*, alterum *Modus*. Ergo ex S. Thoma, ſubſidium pro *Modis* nullum eſt. Inſuper; ibidem docet S. Thom. diverſitatem ſubſtantiæ & accidentis, reduci ad aliquam diverſitatem rei, ſeu, potiùs eſſe aliquam rei diverſitatem, *& ideo talis*, inquit, *differentia, repugnat maximæ Unitati & ſimplicitati DEI.* Hæc collectio, in ſenſu adverſariorum, nullum habet robur: non enim apud ipſos, omnis differentia ſubſtantiæ & accidentis, eſt quædam diverſitas rei, ſed tantùm, ſi alterum eſt *Res*, alterum *Modus*. Deinde, quæramus ex ipſis, an rationis diſtinctio, inter ſubſtantiam & accidens, quod *Modus* non ſit, repugnet DEO an non? ſi repugnat, unde repugnat, cùm, ut docent, rationis diſtinctio, non ponat diverſitatem rei, niſi alterum ſit *Modus*? Repugnat, inquies, quia alterum eſt accidens. Verùm; hoc non eſt ad rem, jam enim tantùm quærimus, quomodo rationis diſtinctio, quæ nullam ponit, ex hypotheſi, diverſitatem rei, repugnet ſummæ unitati & ſimplicitati DEI; an autem accidens ut ſic repugnet infinitudini Dei, non quærimus. Si ergo non repugnat, cur

gnat, cur id affirmat S. Thomas? cur nequit esse in Deo substantia & accidens, quod *Modus* non sit? Sed esto tãdem *Modus*, ne propter *Modos modum* excedamus, quanquam & ipsi *Modi* sine *modo* sunt. Satis igitur pro re nata intelligitur subjectum & accidens, subjecto & numero idem esse.

Ut igitur ad propositum redeamus, juvat pro definitionibus refutandis vel confirmandis considerare, an aliqua sint idem, necesse est enim, ut Definitio sit idem cum definito. An verò aliqua sint idem, colligi potest ex illo Axiomate Dialectico: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; quæ non sunt eadem uni tertio. non sunt eadem inter se.*

Hoc Axioma, quidam sic extollunt, ut dicant, Esse primum principium omnium Syllogismorum. At secus est. Nam primò, ut alibi diximus, esse idem uni tertio, est de tertio aliquo duo affirmari, quod tantùm fit in tertia figura. Deinde, in propositionibus Syllogisticis unum de altero affirmatur, dummodo alterum alteri insit, nullâ habitâ ratione, an sint Idem, multò minús attenditur, sint ne idem re an ratione. Tertiò; hoc est tantùm quoddam axioma Dialecticum, est enim verisimile, aliqua esse idem inter se, si sunt Idem uni tertio, & ideo quamvis Actio & passio sint idem cum Motu, & quidem simpliciter, non tamen simpliciter sunt idem inter se. Similiter, phrasi Aristot. Musicum & album sunt eadem uni tertio, nempe Socrati, non sunt tamen eadem inter se simpliciter. Et propterea S. Thom. 3. Phys. negat hoc esse verum, nisi eadem sint uni tertio, re & ratione, quę additio necessaria nõ esset, si hoc Axioma plusquàm Topicum esset.

Verùm, hæc hactenus.

## ARTICULUS III.

# Qui Loci ex Generalibus ſerviant Proprio & Definitioni?

*CONCLUSIO.* Primò, ex Caſibus & Conjugatis videndũ eſt, an unus Caſus ſit proprium alterius, ut ſi *honeſtè* non eſt proprium eius, quod eſt *Juſtè*, tunc *Honeſtum* non eſt proprium eius, quod eſt, *Juſtum*. Et ſi *utile* eſt, quod eſt *accommodatum* ad finem propoſitum ſive efficiendum ſeu acquirendum, tũc *Utiliter* fit, ſeu eſt, quod fit ſeu eſt *accommdatè*.

Secundò; *ex Comparatione*; ſivẽ ſecundùm proportionem, ſive ſecundùm magis & minus aut par: *Secundùm proportionem*; ut ſe habet Utile ad ſalubre, ita ſe habet Honeſtum ad Juſtum; ſed illud pertinet ad definitionem ſalubris, ergo hoc ad definitionem Juſti.

Hæc Itaque ſimiliter ſe habent: & differunt ſimilia & Paria; nã ſimilia ex proportione, talia ſunt ex habitudine, duorum ad duo, Paria plerumque ex habitudine ad ineſſe, eò, quòd vel eſt eadem cauſſa cur, ſi unum ineſt, & alterum inſit; aut ſi uni ineſt, major eſt ratio, cur alteri inſit, ut, ſi bruto propter finem agunt, multò magis homo: aut; ſi uni non ineſt, major eſt ratio, cur alteri non inſit, ut, ſi homo non eſt immortalis, multò minùs cætera, & ſi Ariſtoteles in philoſophando hallucinatus eſt, multò magis cæteri.

Tertiò; *ex oppoſitis*: ut an Contrarium ſit contrarii proprium, ut Optimum non eſt proprium Juſtitiæ, quare nec Peſſimum eſt proprium injuſtitiæ. Eligendum eſt boni proprium quare & Fugiendum eſt proprinm Mali. Similiter, Contrarii contraria definitio erit; ut ſi utile eſt, quod eſt effectivum boni, damnoſum eſt, quod eſt effectivum mali, vel, quod eſt corruptivum boni.

Deinde;

Deinde; *ex Relativè oppositis*: si enim alterum Relatũ, alterius relati non est propriũ, nec hoc quidem relatũ erit alterius proprium, veluti, quia *Exuperans* non est proprium dupli, profectò quod *exuperatur* non est proprium dimidii. Ita videndum est, an oppositi Relati definitio, sit oppositа definitioni oppositi, ut an dimidii definitio sit oppositа definitioni dupli; si enim *duplum* est, quod æquali superat, *dimidium* erit, quòd æquali superatur.

Considerandum etiam est, *in privativè oppositis*: nam si id, quod secũdùm Habitum dicitur, non est proprium eius, quod secundùm habitum dicitur, tum nec id, quod secundùm privationẽ dicitur, & viceversa; ut quia Auditûs non est propriũ, *esse sensum*, quia hoc multis cõmune, nec surditatis erit proprium, *vacare sensu*. Similiter in Definitionibus.

Demùm; *ex Contradictione oppositis*: Nam; si affirmatio est proprium, negatio proprium non erit, & vice versa.

Atq́; hactenus de Locis tam cuivis problemati, quàm singulis quæstionib. Dialecticis, accommodatis, disservimus, & satis quidem pro nostro instituto; & qui se exercere volet, non plura desiderabit, ut enim in aliis, ita & hîc, *usus est optimus omnium Magister*. Hoc tamen semper observare debemus, ex hujusmodi & locis & Axiomatis, nihil demonstrari, sed verosimiliter probari. Sunt enim quidam, qui universam scientiam suam in hujusmodi Axiomatis collocant, adeo pertinaciter, ut plerumq́; parum vel nihil à Sophistis distent, cúmque ad congressus publicos veniunt, videas eos, vel ludere vel cõtendere. Qualibet sive Arte, sive facultate utendum est quousque eius se utilitas extendit. Et sanè, quò rarior nunc est Usus Dialecticæ in Academicis velitationibus, eò cuilibet majus adjumentum affert, privatim apud se veritatem indaganti, utriusque partis per Dialecticas rationes examine. Sed hæc hactenus.

CAPUT

# CAPUT III.

## DE IPSA DISPUTANDI RATIONE.

QUoniam inveniſſe non eſt ſatis, niſi & inventa diſponantur, & in Interrogatione ponantur adeóque in Diſputationem quis veniat; Jam de ipſa Diſputandi ratione, dicendum eſt. Quemadmodum enim nemo pictorem aut factorem conſummatum dixerit [ſunt verba Rodol. Agr. l. 2. c. 3.] qui omnia quidem membra ſeorſim exactè exprimeret, jungere autem ea neſciret, & in eam habitudinem componere, ut motus aut actus alicujus, quam vellet imaginem, imitarentur: ſic ne Dialectici quidem nomen ſibi vendicabit, qui omnia faciendæ fidei, invenire ſciat, ſed diſponere, & in ordinem redigere, ut fidem, cui deſtinantur, facere poſſint, neſciat. Hic itaque finis erit Dialectices, docere pro facultate rei, de qua diſſeritur, id eſt, invenire, quæ fidei faciendæ ſint apta, & invẽta diſponere, atque, ut ad docendum quàm accommodatiſſima ſint, ordinare. Namque; perinde videtur, non invenire, & invenire ejuſmodi, quç judicentur, inſtituto noſtro apta nõ eſſe. Hæc ille, non minùs verè quàm eleganter: Quo etiam nemo accuratiùs de arte Dialectica ſcripſiſſe dicitur, id quod ſi de ſubtilitate & elegantia, ac de locis tàm oratoriè perſuadẽdi, quàm Dialecticè confirmandi, intelligatur, & minùs ad Ariſtotelis Methodum, conceſſerim.

COM-

# COMMENTATIO I.

## *De Interrogatione.*

IN Dialectica disputatione, *Duo* congrediuntur, *Alter* enim ponit Thesin, quam vult defendere, *Alter* verò conatur thesin evertere, aut saltem experiri, an commodè & probabiliter sustineri possit, quam ad rem, quærit argumenta ex Locis supràdictis; & cùm invenerit, ponit in Propositione; & quia nõ nisi ex verisimilib. & probabilibus disputat, [est enim sermo de disputatione Dialectica, de scientiali disputatione, qualis solet esse nostra, paullò pòst) interrogat Respondentem, ut exploret an assentiatur, & admittat nec ne? frustra enim laborabit in probando, nisi habeat concessa, & ex concessis arguat. Hodie verò non interrogamus, sed ponimus integrum Syllogismum, quem deinde memoriæ caussâ, & ad vitandas cavillationes, resumit Respondens, & quæ vult, concedit, quæ vult, negat. Et quãvis hac disputandi viâ, quæ nunc est in scholis, magnũ cõmodum habeat Respondẽs, partim, quia datur ipsi otiũ, & cogitandi mora; partim quia ex Conclusione, statim animadvertere potest, quorsũ Argumentans collimet, tamẽ arguẽti non estità consultũ. Nã; contra illũ agere, cui datur colligendi suî spatiũ, quiq; perspiciat, quò velit adversarius, difficile est. Verùm; hæc disputandi ratio, meritò in Lycea Philosophorum, & Theologorum Cathedras recepta est. Primùm; Quia libera est à Confusione, & pulchro quodam ordine, vtrique alternatim dicendi, justa concessio est. Deinde; utilis est Auditoribus, qui sic faciliùs, & argumentorum vim, & solutionis capere & retinere possunt. Tertiò; Quia faciliùs excluduntur fallaciæ, & nugæ, atque animorum irritationes. Denique; Cùm hodiernæ Philosophorum Disputationes, magis sint propter Auditores, partim excitandos, partim erudiẽdos, & propter Industrię specimina danda à Re-

ſpondentibus, quib. exinde *Univerſitates* Honoris præmia decernere conſueverunt, æquum eſt, tali diſputandi ratione uti, qualis Reſpondentibus commodior eſt. Et plerumq; illæ Diſputationes, in quibus nimio plus, *argumentantib.* conceditur, ſunt contentioſę, & Sophiſtica ipſa, non niſi ex captioſis interrogationibus nata eſt.

Verùm, illud verè mihi videor eſſe dicturus, quòd inter viros eruditos & *veritatis*, non *Oſtentationis* vel *victoriæ* cupidos, magnoperè probanda ſit Veterum, diſputandi ratio; Tum, Quia majore attentione & vigilãtiâ indiget: Tum, Quia faciliùs apparet, quid ex quo ſecundùm rem, Conſequatur. Reſpondens enim, qui Concluſionem prędvidet, ac argumentantis ſcopum, vel ad pertinaciam vſq; reſiſtit adverſario, quamvis ille ponat veriſimilia, tantùm nevinci videatur. Quanquam in *ſcientiali* diſputatione non ſufficiunt veriſimilia & probabilia, ſi vera non ſunt, nam & Theſis, ab initio ponitur ut vera, ſaltem judicio ponentis, & non ſolùm ut probabilis. In *Dialectica* verò diſputatione, Theſis ponitur ut probabilis, quocirca probabilia non negantur, ſi probabilia ſunt; de quo poſtea.

## ARTICULUS. IV.

## Quas oportet interogantem ſumere Propoſitiones?

*Conclusio.* Sumere debet Propoſitiones, partim Neceſſarias, partim, non neceſſarias quidem, vtiles tamen ad iſtas. *Neceſſariæ* ſunt, ſine quibus nullus fit Syllogiſmus. Sed hæ non ſtatim proponi debent, ait Ariſt. l. 8. Sed recedendum quàm longiſſimè ſurſum verſus. Juvat quoq; ad occultandum,

uti

uti prosyllogiſmis, ad probanda ea, ex quibus vult concludere. Utile etiam erit, permiſcere, quæ ad hanc, quæ ad illam cõcluſionem pertinent. Uno verbo, ita interrogare oportet, ut incertum ſit, hoc an illud ſumpturus ſit in ratiocinando.

Utile quoque eſt, dicere, ſe proponere, id quod paſſim concedi ſolet, quia non audent reſpondentes talibus refragari. Poſtremo demum loco, proponere debet ea, quæ quis maximè, poſtea ſumere vult in ratiocinando: nam in principio maximè difficiles ſunt reſpõdentes, & volũt eſſe cauti, idcirco, quæ primò proponuntur, citiùs negant. *Protervi* tamen, prima maximè concedunt, in fine autem ſunt pugnaces & difficiles, quando vident, quid eventurum ſit; quod etiam faciunt, qui ſe putant acutos in reſpondendo; principio enim ſibi confidunt, plurimis autem conceſſis, in fine argutiis utuntur, quaſi non ſequatur ex conceſſis.

Jam; ſi Reſpondens non admittat univerſalem Propoſitionem, utendum eſt Inductione, vel etiam Syllogiſmo probãda eſt eiuſmodi univerſalis propoſitio, prout ſcilicet opportunum eſt. Et quia dabant olim etiam operam, ut amplificarẽt, & ornatè ꝓponerẽt, aliquid huc facit Inductio & Diviſio.

## *ARTICULUS II.*

## Quomodo Exceptiones ſeu Inſtantiæ ſint repellendæ?

*Conclusio.* Cùm vel eſt expoſita Univerſalis propoſitio, vel facta Inductio, contingit à Reſpondente *Exceptionẽ* ſeu *Inſtantiam* objici, quaſi non in omnib. ità ſe habeat: & tunc oportet eſſe inſtructũ adverſus Inſtantiã. Ac primùm quidem, nihil valet *Objectio* ſeu *Inſtantia* in eo ipſo, quod propoſitũ eſt. Ut eñ Argumẽtans nõ debet idẽ per idẽ ꝓbare, ità reſpõdẽs da-

re non debet Instantiam, in eo ipso, quod est in Controversia inter ipsum & adversarium.

Secundò; Si *Instantia* data valet in eo genere, in quo data est, oportet eo *detracto*, reliquum universaliter proponere; vel, si non est ad rem, aut saltem non multùm, tunc oportet Propositioni *adjicere*, ut si probare volens, *Dialecticam esse utilem* ponit, *Omnem scientiam esse utilem*; tum fortè alius excipit, *multas scientias sæpè nocuisse*, jam argumentans dicat, *Omnem scientiam per se esse utilem*. Quòd si alius dicit, *Dialecticam non esse scientiam, sed artem*, dicat argumentans, *Omnem Artem esse utilem*, quia perinde erit sive Dialectica sit scientia, sive Ars. Similiter, Ethicus ut probet, *Divitem teneri legibus*, sic ponit, *Omnis Civis suæ Civitatis tenetur legibus*: excipit fortè alius *Principem, quem negat teneri legibus Civitatis*: argumentans dicat sic, *Omnis Civis; præter Principem, tenetur legibus*. Nam; sive Princeps sit legibus solutus, sivè minimè, nihil interest ad probandum, *Divitem legibus teneri*. Et quoniam respondentes, cùm prævident imminere periculum, effugia quærunt, ut quacunque ratione elabantur, cavendum est argumentanti, ne ponat propositiones nimium vel *generales*, vel *remotas*, vel *dubias*, quia etiamsi contrà disputans, sæpè in talibus non reponat argumentationis suæ robur, tamen callidi respondentes maturè sibi prospiciunt, & eas vel pertinaciter negant, vel quali quali distinctione dividunt, ut argumentantem à proposito abducant. Det igitur operam disputans, ut neque nimis longè petat argumentum, & inutiles distinctiones respondēti permittat, quando nihilominus argumentum ostendit propositum. Malè etiam habet Respondentes, quando vident, se suis responsis vel distinctionibus, nihil promovere, cùm sive *detrahantur*, sive *adjiciantur*, perinde sit, Non semel vidimus, cùm disputantes, de Terra, repentè inter sidera versati sunt, quia nimirum argumentans indulgens qualibus qualibus responsis, passus est respondentē

aufugere ad alienos fines, quem argumentans continuò insequens, nunquam ampliùs ad Circum reducere potuit. Verùm; prudens & peritus disputator, hoc Aristotelis documento, observato, facilè retinebit.

Et sanè; hoc idem documentum, apprime utile, vel etjam necessarium est, quando disputatores contrariis sunt innutriti Principiis, tunc enim vel maximè respondentes tergiversari solent, & leviſſimam quamque occasionem arripere negãdi propositiones, etiam si in illis non sit collocata argumenti vis, gaudent enim se tunc, quasi in patria, liberè posse vagari. Peritus ergò disputator sic proponet, ut sumat probabiliſſima, & vitabit, quoad poterit, propositiones, quibus ipse aut sui tantùm, quos sequitur, assentiuntur.

Taceo, quòd plerumque permolestæ contentiones, aut etiam convitia, indigna Philosophis, indigna Viris, excitantur, dum quisque jam sine probatione, *& sua principia esse per se nota & evidentia, & suos longè meliùs & subtiliùs* scripsisse clamitat.

Interdum is, qui argumentatur, petere solet ipse *Instantiam* sive *Objectionem*, quod tamen rarò faciendum est, plerumque enim respondens, ne omnino mutus sit, frivolas Instantias excogitat, quo pacto arguenti duplex nascitur labor. Si tamen sit aliqua propositio, ubi difficillimum sit, objectionem opponere, licebit arguenti objectionem postulare. Illud etiã reprehendendum, cùm respondens ipsam Thesin, de qua disputatur, loco exceptionis objicit. Ferendum etiam non est, cùm respondens scisscitatur, & tacitè partes argumentantis ad se transfert.

Demum; Interrogans non interroget, nisi ad quæ responderi potest, *Etiam* aut *Non*: aliàs excipiet Respondens, se non fuisse Dialecticè interrogatum. Neque enim est *Interrogatio* Dialectica, *Quid est homo?* aut, *Quot modis dicitur Bonum?* Qui sic quærunt, non Probatiouem, aut Demonstrationem quæ-

runt, ſed ſimplicem doctrinam. Præterea; qui ſic interrogant, ſignificant ſe fore contentos, etiamſi nihil probetur; neque ex tali interrogatione & reſponſione, efficitur diſputatio, ſed eſt nuda interrogatio & reſponſio, neque unus alteri contradicit, quia reſpondens ſive affirmet ſive neget, non tamen interroganti contradicit; qui enim dicit, *Quid ſit Homo*, aut *quid non ſit*, nihil dicit contra interrogantem, *Quid ſit homo.*

## ARTICULUS III.

## Quæ Theſes facilè, quæ difficulter evertantur?

CONCLUSIO. Difficile eſt probare ea, quæ ſunt naturâ *prima*. Nam *prima*, eo ipſo, quòd talia, non poſſunt habere media. Cujuſmodi etiam ſunt, quæ primis ſunt propinqua, nã & iſta, multa principia habere non poſſunt. Huc pertinet illud S. Auguſtini l. 1. de Peccat. meritis; cùm enim contra quoſdã Pelagianos, probandum eſſet, infantes, nullum propriâ volũtate, poſſe committere peccatum, ſic præfatur: *Nuſquam ſic non invenio, quod dicam, quàm ubi res, de qua dicitur, manifeſtior eſt, quàm omne quod dicitur.* Hæc ille; Quia infantes nullo rationis uſu gaudere, longè manifeſtius eſt, ac notius, quàm ut probari poſſit. *Nonne tanta infirmitas animi & corporis* (ita pergit S. Doct.) *tanta rerum ignorantia, tam nulla omnino præcepti capacitas* [in infãtibus] *tum nullus vel naturalis, vel conſcriptæ legis ſenſus, aut motus. nullus in alterutram partem rationis uſus, hoc multò teſtatiore ſilentio, quàm ſermo noſter proclamat & indicat?* Ut verò, quæ manifeſtè vera ſunt, difficile eſt probare, ita & quæ prima ſunt, difficile eſt, non probare ſolùm, ſed etiam impugnare. Quia reſpondens faciliùs ſe tueri poteſt: & univerſim, quæ *Definitione* vel *Diſtinctione* indigent, difficulter impugnantur; Illa enim

priùs

priùs definiri debent, positâ autem Definitione facilè probantur, non ita impugnantur: Ista verò, quæ egent Distinctione, quia multis fortè modis dicuntur, nisi distinguantur, faciunt respondenti copiam, argumentum eludendi; Et quanquam prima & manifesta, faciliùs est probare, quàm evertere, sæpè tamen, ut antea ex S. Augustino insinuavimus, aliqua manifesta & valdè nota probare, admodum est difficile. Quod animadvertentes callidi respondẽtes, interdum studio negant propositionem perspicuè veram, in qua Argumẽtans multùm spei & præsidii collocabat. Et tũ satius est, deserere disputationem seu argumentationem, dicendo tamen, sibi animum non esse, disputare cum respondente, qui ludere velle videatur.

# COMMENTATIO II.

## *De Responsione.*

Quid oporteat facere interogantẽ, diximus: nimirum Interrogantis est Disputationem ita deducere, ut Respondentẽ cogat, quàm maximè Jncredibilia dicere, ex jis quæ propter Thesin accidunt; In credibilia, inquam, quia Dialecticus non cupit Demonstrare, sed quæ incredibilia & præter opinionem sive pluri um, sive sapientum sunt, ea, apud Dialecticum quodammodo impossibilia & falsa sunt. *Respondentis* verò officium est, ne suâ culpâ videatur evenire, quod absurdum vel præter opinionẽ est. Quòd si propter Thesin eveniunt absurda, non statim *Respondens* officio suo non est functus, nã & falsa Thesis præclarè & ex arte sustineri potest. Si quid ergo incommodi propter Thesin accidit, signum est, Thesin non fuisse ponendam, cùm ex ea, vel propter eam consequantur

quantur absurda & Paradoxa. Sed aliud est, Thesin à principio, poni non debuisse; & aliud, positam semel Thesin malè sustinuisse. Modò igitur, suâ culpâ, nil absurdi accidat, quamvis culpâ Theseos, aliqua præter opinionem eveniant. Est igitur, aliud, *Respondentem* arguere, de inepta responsione, aliud, de Theseos falsitate.

## ARTICULUS I.

### Quæ sint concedenda, quæ neganda?

*CONCLUSIO.* Si quid ad Disputationem non pertinet, dicatur, ESTO, seu *Transeat*. Si autem pertinet, & est probabile, concedatur, etiamsi ex eo, Thesis evertatur; dicatur tamen, Probabile quidem esse, & eo concesso, refutari Thesin, attamẽ nimis esse propinquum Thesi, ac proinde *peti quæsitum*. Atque hîc statim apparet differentia inter *Dialecticam* & *Scientialem* seu *nostram* Disputationem. Nam in hac, si ex concessis, refutatur Thesis, Argumentans est victor, suscepit enim Respondens Theses defendendas ut veras. Itaque non potest opponere, peti principium, nisi fortè argumentum & Thesis valdè propinqua sint: & aliàs *scientialis* argumentans, vel maximè conatur, ut ex propinquis & propriis ratiocinetur. *Dialectico* verò disputatori, potest opponi *Peti principium*, non enim respondens suscipit Thesin defendendam ut veram, unde si ex concessis, iisq; probabilibus Thesis evertitur [si tamen ex probabilibus probabile statim evertitur] nihil detrimenti patitur, concedit enim, talibus aut talibus admissis refutari Thesin, at sibi nihil officere, propterea, quòd argumenta sint quodammodo idem cum Thesi aut conclusione. Qua ratione, uterque fructum ex Disputatione consequitur; scire enim debemus,

mus, disputationem *Dialecticam*, esse quoddam opus commune, non enim alter cupit vincere, [hoc siquidem Sophistarum & contentiosorum est] sed faciendi periculi & inquisitionis gratiâ, instituitur disputatio Dialectica. Fatetur ergo *Respondens*, talibus aut talibus propositionibus Thesin everti, sed se illas perinde habere, dicit, atque ipsam Thesin. Proinde; concedendo Probabilia, etiamsi Thesis refutetur, non reprehenditur Respondens, sed tantùm audiet, quòd fortasse posuerit Thesin improbabilem, aut Paradoxam. In quo attendere debet, an defendat Thesin, *simpliciter* improbabilem, tunc enim argumentantis propositiones debent esse *simpliciter* probabiles, ut & Conclusio simpliciter probabilis sit. Vel; an defendat Thesin *sibi* tantùm improbabilem, tunc *sibi* probabilia cõcedere debet. Vel denique; an alicujus *alterius* opinionem defendat, tunc enim respicere debet, quid sit ad *alterius* mentem, concedendum vel negandum.

Similiter; si defendit Thesin *simpliciter* probabilem, tunc *simpliciter* probabilia, aut probabiliora, quàm sit Conclusio adversarii, concedet. Ità, si defendit Thesin, quæ videtur omnibus, quæ omnibus videntur, concedat; neget, quæ nemini videntur; Si, quæ videtur Sapientib, quæ his videntur, concedat, quæ non, neget; ac si defendit alienã opinionẽ, concedat vel neget, prout videtur sic opinantibus: ut; vulgo *Paupertas est mala*; concedat, qui defendit, quæ vulgo videntur, quæ verò vulgò non videntur, neget, quantumvis sapientibus videantur. Si quis ergò opponat, Divitias non esse bonas; *vel Divites esse sceleratos; vel, Paupertatẽ esse Divitiis meliorem, aut etiã utilio rem*; hæc & similia, quoniã vulgò improbabilia sunt, negantur. Hæc autem, Divitias sæpè attulisse exitium, *Divites esse arrogantes & superbos; Multis fuisse meliùs pauperes fuisse, & similia*, quoniã vulgo etiam probabilia sunt, conceduntur rectè; addet tamen *Respondens*, Peti principium, eò quòd v. g. *Divitias attulisse exitiũ*

&*Paupertatem non esse malam* [quod argumentans vult concludere] sint quodammodò Idem, & valdè propinqua. *Respondens* enim, ut sæpè diximus, non est culpandus, si concedat probabilia, etiamsi ex illis, oppositum Thesis sequatur, modò significet se scire, quòd ex talibus concessis, sequatur oppositum: sic enim scire existimabitur, quid ex quo sequatur: Et oppositum, non ipsius vitio sequetur, sed propter propositiones probabiles, ab ipso meritò concedēdas. Nec propterea censendus est esse redargutus: Nam primò; non cogitur simpliciter concedere oppositum, sed solùm ex talibus; Secundò; Duo Contradictoria possunt esse probabilia vel simpliciter, vel unū vulgò, alterum sapientibus, vel è contrà. Tertiò; Dialecticè *Respondens*, non hoc curat ne vincatur, sed, ut ne suâ culpâ incredibilia dicere cogatur: Quód si incredibilia dicat culpâ Thesis, aut propter interrogata probabilia, nihil est indè passus detrimenti. Itaque; non tantoperè adversus Elenchū se cupit defendere, ut Sophistæ, quibus vinci turpe, vincere præ omnibus est.

Quinque autem ferè modis, Dialecticè petitur principium. Primò; siquis idipsum petat, quod probare oportet, saltem sub aliis Nominibus Synonymis. Secundò; cùm id, quod in parte probandum est, universaliter petitur; ut, An oppositorum sit eadem scientia, cùm probandum est, esse Contrariorum eandem. Tertiò; cùm probaturus universale petit particulare. Quartò; Siquis Duo simul probaturus, separatim utrumque petat, ut, an Medicina sit salubrium: & an sit Insalubrium? Quintò; Siquis aliquid eorum petat, quæ se invicem necessariò consequuntur. Concedat igitur Respondens, dicendo Peti principium: *Philosophus autem*, ait Arist. l. 8. c. 1. *dat operam ut Axiomata sint maximè nota, & propinqua problemati, nec curat, si is, qui respondet, ea non ponat, eò quòd sint quæstioni propinqua & quòd provideat, quid eventurum sit*; quasi diceret, Dialecticus

curat,

curat, atque idcirco non ponit, quæ vàldè propinqua sunt quæstioni ab initio propositæ; Quamvis enim illa concedat, si probabilia sunt, tamen addit, se illa non ponere, seu, se probè scire, ex illis, Theseos oppositum colligi.

Cæterùm; in Nostris Disputationibus, quia non tàm ex *Communibus*, quàm ex *propriis* cujusque scientiæ Principiis instituuntur, Non juvat dicere, *se probè scire, conclusionem ex talibus sequi:* Si enim hoc dicat, cogitur admittere Thesin esse falsam, quia Principia propria, aut omnino, aut propemodum sunt demonstrativa: & deinde; Noster *Defendens*, suscipit Theses defendendas ut veras, sed *Dialectica Disputatio* fit Exercitii gratiâ, ac proinde, *Respondens* ponit Thesin, non tàm, quòd putet esse veram, quàm ut se exerceat. Atque idcirco; *Respondens* daturus specimen, ut nunc fieri solet, in quibusdam aliter se gerere debet, ac *respondens* Dialecticus, non enim necesse est, ut concedat probabilia, quia fieri potest, ut sint falsa. Primùm igitur; Iste videre debet, an revera sit Syllogismus, nec ne. Nam si non est, nihil ad propositiones dicat, sed illas permittens, neget Consequentiam; nisi fortè facillimâ mutatione Syllogismus esse possit, nam passim negare Consequentiam, cùm possis, puerile est, & *Sophisticen* seu Contentionem olet. Quòd si Syllogismus; videat, an æquivocatio lateat, tunc enim Æquivocum distinguat, etiam in Conclusione, si ibi redit, & in uno sensu concedat, in altero neget. Si tamen distinctio est necessaria vel ad rem: quidam enim, vel gratiâ ostentandæ eruditionis, vel etiam, ut disputanti filum initiò præcidant, mox ad distinguendum prorumpunt, quod & vanum, & contentiosum est. Quidam etiam pueriliter, nescio quas Distinctiunculas hinc inde corrogant, & tanquam nihil simpliciter, & Categoricè dici possit, pueriliter, & imperitè distinguunt illud semper in ore habentes, Latè & strictè.

Et tùm maximè ſibi ſubtiles videntur, cùm nihil dicunt aut ſcribunt, ubi non poſſint, illud ſuum, *Latè* & *ſtrictè* uſurpare. Quaſi verò non omnia ſic in dubium revocari poſſint. Quolibet nomine eſt utendum, prout ſubjecta materia poſtulat, nec pro arbitrio, extra metam currendũ, ne nullus currendi, ſicut & *Latitudinis*, finis inveniatur. Quòd ſi adhibeatur diſtinctio, ſit, quæ pondus vel momentũ habeat, cujuſmodi ſunt illæ, quas vel invenit, vel excoluit Ariſt. *ſimpliciter* & *ſecundùm quid*: *Per ſe & per accidens*: *Actu & Poteſtate*: *Smpliciter* & *ex hypotheſi*, & ſimiles.

Quòd ſi diſtinguendi locus non eſt, videat *Reſpondens*, ne concedat aliquid repugnans Theſi, vel antea legitimè cõceſſis, vel principiis ejus ſcientiæ, ex qua eſt Theſis: animadvertat, an idipſum, quod negatum, ſimpliciter probet adverſarius; repellat petentem Principium, nec quidquam dicat extra rem, ne adverſarius, argumentorum inopiâ laborans, illud arripiat, & contrà idipſum, Argumentationem convertat. Nam perſepè accidit, ut *callidi Diſputatores*, argumentis deſtituti, invitent *Reſpondentem* ad multa dicenda, vel ad aliquid pluribus explicandum, ut quidvis deinde, etiam leviter dictum, refutent, ne obmuteſcant.

Quare; ſi petitur à *Reſpondente*, alicujus Propoſitionis declaratio, paucis, & tantùm neceſſariis verbis expediat: argumentantes enim, ſive imperiti, ſive imparati, conſueverunt, aliqua quærere, aut explanationem poſtulare, vel ut interim ſe colligant, vel, ut *Reſpondenti* aliquod verbum excidat, contra quod liceat opponere. Numquã patiatur *Reſpondens* mutari vices, ut contrà *diſputans* reſpondere incipiat, & onus argumentandi in Reſpondentem transferat.

Si qua non ſunt ad rem, reſumat, nec interloquatur, alioqui & diſputator interloquetur; finem præſtoletur, & deinde, quæ ad rem non ſunt, permittat & dicat, ESTO. Atque, ut faciliús

faciliùs Argumentationem repetere possit, Thesin quæ oppugnatur, animadvertat, & primam propositionem; Primis enim retentis, cætera meminisse facilius est.

## ARTICULUS II.

### Quomodo sit solvenda Argumentatio?

CONCLUSIO. *Aliud est solvere, aliud impedire Argumentationem.* Possumus impedire, afferendo objectionem seu Instantiam adversus interrogata, vel secundò adversus interrogantem. Vel tertiò; objiciendo talia, quæ ad examen multo indigent tempore, ut facere solent Hæretici, qui cùm premũtur, statim ad alias quæstiones vel objectiones confugiunt.

Quâ de caussâ, insignis quidam P. Augustinianus Eremita librum, Hæreticum QUARE, per Catholicum QUIA, conscripsit, magno Catholicorum bono. Quod verò Hæretici, hoc etiam faciunt Contentiosi quidam Disputatores, quibus non tam est animus vel scientia, objecta dissolvere, quàm Moram & impedimenta objicere.

Quanquam adversus Gloriosulos, & Calumniatores aliquando melius & utilius est, vel retorquere, vel remorari, & novum texere nodum, quàm ex arte, solvere argumentum.

Porrò; solvere, est illud tollere, ex quo efficitur falsum, non enim quovis sublato, Argumẽtatio solvitur: Multa namque falsa in una Argumentatione, esse possunt: ut; *qui sedet, scribit, sed Socrates sedet, ergo scribit.* ablatâ minore, etiam falsâ. non est soluta Argumentatio, quia etiamsi sedeat, non scribit; caussam ergo Falsitatis ostendere oportet, Nempe Qui sedet, scribit.

Ad doctrinę abundantiam, juvat etiam audire, quæ Lud. Vives, de respondendo & solvendo docet. Sic igitut ille de

Disput. *Argumentatio*, inquit, *quæ Judicium fallit, ea, vel de Materia decipit, ex qua conficitur, vel de artificio, nempe forma & colligatione partium. Cognitio Materiæ ad singulas artium pertinet: ut cùm dicitur, Omnis Unius Principatus optimus, Tyrannis est principatus unius, ergo optimus. Forma verò & compositio hujus sunt loci (artis logicæ) ut, Omnis Virtus suavis, & voluptas suavis, Virtus igitur. Hic proprie Paralogismus appellatur: Nam prior ille, tametsi ex falsis, tamen bonus esse Syllogismus potest, qualis est ille idem. Materia argumentorum, generatim quidem sic itur obviam. Certa & necessaria, ostenduntur non esse ejusmodi, si declaretur, aliud simillimum necessarium non esse; interdum quoq;, ex eodem illo argumento, contrariũ concludi: si opponatur autoritas, fuisse, quibus non sit visum tale, quorum ingenium & judicium aliis in rebus pro valido sit habitum. Probabile est quod cuiq; videtur ita esse, non certa & evidenti ratione, sed verisimiliore, quàm contraria. Probabilia, vel infirmantur; vel tolluntur penitus: infirmantur, si planum fiat, minus esse in eis robur, quàm putabatur, solere plerumq; contrarium evenire: Tolluntur, objectione eorum, quæ illi sint vel necessaria, vel magis credibilia, & patefactione circumstantiarum, cur in hoc loco, in hoc tempore, in his rebus illud non procedat.*

*Jam verò; Argumentationem aptam & confectam, vel repellimus, vel dissolvimus, vel eludimus, vel retundimus. Repellitur. cùm negatur, benè colligi: Dissolvitur, cùm profertur captio, quæ, quia ferè sit ex ambiguo & simili, idcirco vocatur distinguere, in quo, tanquam re duas aut plures in partes discissâ, membrum unum ipsi nobis sumimus, alterum vel reliqua adversario concedimus: Eluditur, cùm adfertur absurdum, quod sequeretur si ita esset: Retunditur & quasi opprimitur. cùm fortiùs contra id argumentum opponitur. Qui verò negat, in argumento ita habere, nihil ad Argumentationem dicit, sed ad examen partium illius, de quo jam sumus locuti. Elusio à Retusione, non multùm distat, utraque ab Aristot. appellatur Enstasis, Latinè adverbum. In-*

*verbum, Instantia. Et paullò pòst, Opponitur obex argumentationi, ex eodem, ex simili, ex contrario, ex authoritate. Ex eodem, si quis dicat, Amor bonum quia dulce; occurritur, Imò malum, quia indigentia. Ex contrario, Bonus vir amicis nocebit, quòd ab eis læsus, à quibus minimè oportebat: Nequaquam, Quòd nec malus amicis noceat, etiam ab eis læsus. Ex simili, Hic homo maleficio est semel affectus, semper igitur oderit: Quî hoc? Cùm beneficio affecti non semper ament. Ex autoritate, Ignoscendum his, quia sunt pueri; objicitur, Imo Salomon jubet, ut virga ne discedat à puero.*

## ARTICULUS III.

## Quomodo sit reprehendenda Argumentatio?

CONCLUSIO. *Non statim reprehenditur Argumentatio, si falsa est conclusio.* Nam & falsa, probabilia alicui esse possunt. Quòd si Thesis est vera, necesse est, concludi falsum, nec ideo poterit *Argumentatio* reprehendi. Poterit verò, primò; si ex interrogatis nihil concludatur.

Secundò; si nihil ad propositum. Tertiò; Si non nullis additis, fieret Syllogismus, sed quæ adderentur, essent deteriora, quàm priùs interrogata. Quartò; si plura quis sumpserit, quàm necesse. Quintò; Si ex minùs probabilibus quàm sit Conclusio, aut ex iis, quæ plus negotii requirunt, quàm ut demonstretur problema. satis tamen est, si probabilia sumpserit, quis, quoad fieri potuit. Interdum quidem *Argumentatio* in se est vitiosa, sed aliter fieri non potuit propter contentiosum Respondentem, qui non dedit aut concessit probabilia. Nam; adversus eos, qui tergiversantur, non est integrum statim proponere, cujusmodi quis velit, sed cujusmodi possit.

Quòd si

Quód ſi *Reſpondens*, omnino ad interrogatum non reſpõdet, cur eum non reprehendit interrogans aut diſcedit? Hæc igitur, ſunt præcipua benè diſputandi præcepta: At hæc, & omnia, quæ ſuperiùs dicta ſunt, omnium optimè confirmantur *Exercitatione*: cujus, præter ipſam diſputationem, ſunt hæc Documenta.

Primum; Ad omnem Theſin in utramque partem conſiderare argumentationem, & hac inventâ ſtatim ſolutionem quærere, etiamſi nemo alius ſit, quî cum diſputemus; Et hoc non ſolùm utile eſt ad congreſſus Dialecticos, ſed etiam ad Philoſophiam; tantùm enim reliquum erit, ut ex Contrariis ſeu Contradictoriis alterum, rectè eligatur, *ſed ad id oportet Naturâ eſſe benè informatum*, ait rectè Ariſt. *Atq; hæc revera, eſt Naturæ bonitas, poſſe rectè eligere verum, & declinare falſum, quod quidem ii, qui benè à natura informati ſunt, poſſunt rectè facere. Nam qui rectè diligunt & oderunt, quod affertur & proponitur, hi ſeligunt, quod eſt optimum.*

Secundò; Sciendæ ſunt propoſitiones de problematis, quæ ſæpè in Diſputationem veniunt, & maximè de primis. Tertiò; Parandæ ſunt Definitiones, eorum maximè, quæ prima ſunt. Quartò; Ex una Argumentatione multas facere aſſueſcendum eſt, & Argumentationes convertere. Quid verò ſit Argumentationis aut Syllogiſmi Converſio, diximus in Logica. Quintò; Fiant Argumentationes quàm maximè Univerſales. Sextò; Ab iis, qui ſunt apti ad Syllogiſmos, ſumantur propoſitiones; ab iis, verò, qui Inductione felices ſunt, Similitudines accipiantur: in his enim utrique exercitati. Omninò ex Dialectica Exercitatione ſeu Diſputatione, enitendum eſt, referre, aut Syllogiſmum, aut Solutionem, aut propoſitionẽ, aut objectionem; aut denique notare, rectènequis interrogârit, nec ne, & quanam ratione utrumque acciderit. Verùm; Non oportet, cum quibusvis facilè congredi, inde enim nea

nim neceſſariò accidit, ut ſit prava diſputatio: etenim, qui ſe exercent, nequeunt ſibi temperare, quò minùs diſſerant contentiosè, ait Ariſtot. in fine Top.

# COMMENTATIO
## Ultima.
## *De Elenchis.*

LIbris duobus, de *Elenchis* ſeu *Redargutionibus* Ariſt. diſſeruit, quos certũ eſt ex Epilogo, libris Topicorum rectè adjungi. Nam, Quia ſunt aliqui, qui non *Exercitationis* gratiâ, ut Dialectici, ſed cauſsâ *Oſtentationis* vel *Quæſtûs*, cum aliis diſſerunt ac proinde, non tam proficere, quàm vincere cupiunt; ad ejuſmodi homines retundendos, neceſſe eſt, Dialecticum ſcire, eorum *ſcopos*, & inſidias, & quomodo ſit illis occurrendum. Imo non rarò, præter intentionem, alicui *Sophiſma* excidit, & tunc prodeſt ſcire ſolutionem, ne, ut ſæpiſſimè fit, longiſſimè erremus, dum *Sophiſmata* & captioſa argumenta pro veris aut urgentibus rationibus amplectimur. *Cùm igitur*, ut ait Ariſt. l. 1. c. 2. *ſit officium in quag; re periti, nec mentiri ipſum, in iis, quæ novit, & poſſe alium mentientem patefacere, opus eſt, arte ſolvendi cavillationes*: ſic enim Ars de luditur arte. Quanquam *Sophiſtica* non tam eſt Ars, [nulla enim Ars per ſe quærit falſum aut malum, nec Sophiſtice facit ſapientem] quàm præelectio quædam, qua Sophiſta, magis eligit videri ſapiens, quàm eſſe & non videri. Itaque Dialecticus facere poſſet, ſi vellet, *Sophiſmata*; ſed *Sophiſta* facit: quemadmodum & Medicus interficere poſſet, ſi vellet; ſed Homicida aut Veneficus, quod poteſt, facit, & interficit. Simile quiddam cernere licet in reliquis artibus ſeu potiùs facultatibus, Itaque *Sophiſticè* diſputare, non eſt alicujus novæ Artis, ſed eſt cujuſdam *Præelectionis* & pravi propoſiti.

## ARTICULUS I.

# Quæ universim, observanda contra Sophistas?

CONCLUSIO. *Universim contra Sophistas, observandum & retinendum memoriâ est, quid sit illud de quo est contentio vel altercatio.* Hac de re sic Lud. Vives de Disput. *Caput est in altercatione omni, inquit, ut sciatur, quid positum sit in controversia, & de quo disputantes contendunt; alioqui enim temerè ac ridiculè, multa ultrò citróque jactabunt; quod passim videmus in disceptationib. cõtingere, ut alter aiat Cælum agitari, alter conetur evincere, Terram in mundi medio quiescere. Proximum est, ut respondens, perspectam illorum omnium habeat, naturam, de quibus agitur, ut ea non solùm à diversis atq; ab similibus, cogitatione acanimi judicio sejungat, sed à conformibus etiam, quæq; ex similitudine fucum facere possent ad fraudem. Ex hac separatione nascetur, ut & distinguere ambigua, & dividere, & definire rectè valeat, quorum trium ignorantia, magnos in disputando, & turbulentos errores affert, clamoresq; absonos, plenos contentionis, cùm velut Andabatæ qui pedem conferunt, oculis clausis, dimicent; & plerumque usuvenit, ut quæ quis ignorat, tueatur pertinaciùs, sive oppugnet sive propugnet, ratus vera sese asseuerare, cùm cõtrà, qui à falso sestare non nescit, lentiùs agit ac remissiùs, ex conscientia videlicet, non ignarus, captare se tantùm. Quapropter, ut hæc uterq; clariùs pervideat, conservandum est judicium integrum, minimè perturbatum tempestate aliqua affectionum; quæ omnes incitatæ & accensæ, velut fumum quendam rationi & facultati judicandi offundunt, quo veri perspicientia impeditur, utilissimum est altercando non commoveri animo. Idcirco, Bilioſi, fervidi, irritabiles, captatores inanis gloriæ, non sunt idonei altercationi (Disputationi) præsertim, adversus Sophistam vafrum.*

Porro; sunt aliqua, quæ etsi in *Viris* probanda non sunt, quos decet

decet animi tranquillitas; tamen in *Juvenibus* & *Discipulis* non displicent; aut enim significant, aut excitant ardorem discendi, multorum ingenia, nisi quibusdam gloriæ stimulis irritarẽtur, languerent. *Iuvenes* minùs adhuc, quanti sit pretii Veritas, perspiciunt, quare *victoria*, & *Gloria* præmij loco, ostendenda est. Et sanè prudenter sæpe faciunt *Doctores*, qui ad suos *Discipulos* excitandos, nonnunquam vehementiùs congrediuntur Cavere tamen decet, ne adeò efferveſcant, ut vel cẽſura gravior, vel contumelioſum verbum excidat: ſapienter faciunt, qui inſuorum diſcipulorum congreſſibus, eoſdem tamdiu velitari ſinunt, quouſq; poſſunt, & tum breviter retexentes argumentationem & reſponſionem, probanda collaudant atq; ad reliqua viam expediunt. Sed hæc hactenus, quæ plus prudentiæ, quàm fortaſſe artis habent.

## *ARTICULUS II.*

## An meliùs ſit falſum revocare, an in defendendo perſiſtere?

*CONCLUSIO. Simpliciter melius eſt revocare, & errorem corrigere.* Honeſtius profectò eſt ſemel errare, quàm errori errorem addere, quod contingit errorem defendentibus, neque enĩ error, niſi errore defendi poteſt. Qua de re ubi ſupràVIVES: *ſi aberraſſe ſẽtiamus nos, revertamur in viã ultrò, ſive admoniti. Quippe, ſatius & fructuoſius eſt, rectà ingredi, quò intendimus, quàm adverſario non concedere de Victoria, & pertinaciter tueri falſum: Invicti quidem perſiſteremus, ſed contra verum, à quo vinci longè præſtat, quàm omnino contrà illud tendere. Vinci ab homine, contrà diſputante, leve eſt, ac breviſſimum dedecus; falli autem ac decipi, miſerũ: nec rarò vinci te ab altercante, perpuſillum honorem illi parit, tibi verò emolu-*

*emolumentum grande : discedet ille inflatus victoriâ, tu liberatus ignorantiâ, tanto ac tam fædo malo.* Hæc ille. Dixi autem, *simpliciter*, nam & illud laudamus in *discipulis*, si quando in disputationibus norunt errorem non magnum, consequenter defendere, hoc enim est signum, quòd saltem sciant, quid ex quo sequatur: & sæpè magis exercendi & docendi sunt *Iuvenes*, ut aptè quàm ut verè respondeant, præsertim, cùm nõdum attigerunt scientias: quas ubi degustare incipiunt, de veritate etiam ut cumprimis solliciti sint, eos admonere convenit.

## *ARTICULUS III.*

## Quinam sint Loci Redarguendi?

*CONCLUSIO. Duo sunt Loci Redarguendi Sophisticè: Unus, Non facere Syllogismum in bona forma; Alter, Non concludere, quod est revera Contradictorium, sed quod videtur tantùm Contradictorium.* Jta explico & ostendo. Sophistæ, quoniam malunt videri sapientes, quàm esse, hæc quinque præcipuè consectantur: Primũ & præcipuè, ut redarguere videantur Elencho; Deinde, vt falsum dicere ostendant. III. ut ad Paradoxum seu Jnopinabile ducant; IV. ut Solœcismum committere faciant; Postremò, Ut nugetur, seu Jdem bis dicat Respondens. siquod horum obtineant, Victores se esse, ac proinde sapientiores videri credunt. Quanquam, qui hæc Victoriæ gratiâ faciunt, potiùs *Litigiosi* & litium Amatores sunt: qui verò Gloriæ caussâ ad lucrum, *Sophistæ, Est* enim *Sophistice, Facultas quædam, lucrum captãs, ex ea quæ videtur sapientia.* Jisdem argumentationibus Litigiosi & sophistæ utuntur, sed non eorundem gratiâ; eademq; Argumentatio Litigiosa erit & Sophistica, sed non eadem ratione: quà enim Victoriæ fucatæ caussâ adhibes, *Litigiosa* est; quà verò, ut sapientiæ opinionem compares, *Sophistica*: Est enim *Sophistice*

*Sophiſtice* ſapientia, quæ videtur, nec tamen eſt. Nunc, quod attinet ad Elenchum; *Elenchus* ſeu Redargutio, *eſt Syllogiſmus Contradictionis*, ſeu concludens contradictorium alicui Concluſioni, vel Theſi: Proinde, ut Syllogiſmorum alius eſt verus, alius apparens: ita Elenchus alius eſt verus, alius apparens: Verus, qui revera Contradictorium concludit; Apparens, qui videtur concludere. Et ex Veris, alius eſt Demonſtrativus, alius Dialecticus. Demonſtrativus eſt in ſingulis particularibus ſcientiis, ex propriis ſcilicet cujuſque principiis, omnis enim ſcientia verum concludens, poteſt etiam monſtrare oppoſitum eſſe falſum. Duo ſunt igitur ad Elenchum neceſſaria: Primò, ut ſit Syllogiſmus, Secundò; ut Concluſio verè contradicat Concluſioni vel Theſi reſpondentis, horum alterutrum ſi deeſt, jam Elenchus non eſt. Quæ autem Syllogiſmo, ut ex neceſſitate concludat, neceſſaria ſint, jam in Organo oſtenſum eſt antehac: ſimiliter de Contradictione, dictum eſt in l. 1. Perih. & poſtea iterum dicetur.

Itaque Sophiſta, ſi aliud non poteſt, ſtudet committere vitium in Syllogiſmo, occultum tamen, nam ſi manifeſtũ eſſet, continuò exploderetur. Sunt autem occultiora Vitia, *Minor negativa in 1. fig. Propoſitiones indefinitæ, perinde ac ſi eſſent univerſales: Duæ affirmativæ in 11. fig.* quod vitium eſt frequentiſſimum, & utcunque occultum, & ferè omnes Captiones ex Accidente, hoc vitio laborant. Ne autem verè ſit Contradictorium, quod concluditur, contingit, ſiquid ad veram Contradictionem neceſſarium omittitur, de quo Ariſt. 1. Elench. *Elenchus eſt Contradictio unius & ejuſdem, non Nominis, ſed rei, ac Nominis non Synonymi, ſed ejuſdem, & ſecundùm Idem, & ad Idem, eodẽque modo & eodem tempore.*

Et ſanè, ſi rem accuratè examinamus, Omnes Captiones ad Elenchi ignorantiam reducuntur, teſte Ariſt. Modi enim Elenchis redarguendi, duo ſunt: Alii namque ſunt in Dictione, Alii extra dictionem. In Dictione, ſunt ſex; ut *Homonymia*,

seu Æquivocatio *Amphibolia, Compositio, Divisio, Accentus, & figura dictionis. Extra dictionem. sunt septem; Una ex Accidente; A simpliciter, ad non simpliciter, seu quodammodo, seu quadam ex parte, vel alicubi, vel aliquando, vel ad aliquid, aut vice versa, ab his ad simpliciter. III. ob Elenchi ignorantiam.* IV. *Ex Consequente.* V. *Ex petitione principij.* VI. *Quia Non-causa ut causa ponitur.* VII. *Quia multæ Interrogationes pro una accipiuntur.*

Atq; ut singularū ex his locis, Captionū exēpla ponamus; Ex Homonymia seu Æquivocatioē, similes fiūt argumētationes:

*Qui multa Edit, multa devorat:*
*Sed hic Doctor multa Edit,*
*Ergo, multa devorat.*

Quanquam; hoc sophisma est etiam ex Accentu, verbi Edit.

Jtem; *Qui surgebat, stat:*
*Sedens surgebat,*
*Ergo, Sedens stat.*

*Sedens* est homonymum; nam & est præsentis temporis & præteriti Jmperfecti ut Grammatici loquuntur. Ex Amphibolia.

*Qui frustra laborat, littus arat:*
*Qui aerem verberat, frustra laborat,*
*Ergo qui aërem verberat, littus arat.*

Et, *Quod quis videt, hoc videt.*
*Lapidem tu vides,*
*Ergo Lapis videt*

Et, *Quem verum est, occidisse hominem,*
*homicida est:*
*Sed verum est, Uriam Davidoccidisse,*
*Ergo, Urias homicida est.*

Hæc deceptio non est, nisi in plurib. dictionibus, seu vocū cōstructione, Unde ab Homonymia differt Amphibolia. Huc pertinet Captiosū illud Oraculum, *Aio, Te Aeacida Romanos vincere posse:*

*posse*: ubi ambiguũ relinquitur, An Aeacides, hoc est, Pyrrhus, Romanos vincere possit, an contrà, Romani Aeacida.

Ex Compositione & Divisione,

*Sedentem possibile est stare, ergo fieri potest, ut sedens stet.*

*Quicunq; scit litteras nunc didicit illas, Grammaticæ peritus scit litteras, igitur nunc didicit illas.*

*Peccatum est in compositione.*

Jtem, *Quocunq; vidisti hunc percussum, percussus est:*

*Sed oculo vidisti percussum*

*Ergo, oculo percussus est.*

Peccatũ est in divisione, ut alibi dicetur, Nec verò ista fallacia solùm habet locum in dictionibus connotativis, ut quidam existimare videntur, V. G. in similib. *Sedens, Surgens, Prædestinatus* &c, sed etiam, quotiescunq; conjunguntur disiungenda, & conjungenda dividuntur; ut *Quidquid vivit semper est seu erit. Siquid vivit semper est. Vidi imaginem auream vestem habentem. Ego te feciseruum existentem liberum.*

Jtem ex eodem Captionis Genere, objici solet, Quód, qui singula possit ferre, possit omnia ferre: & qui singula venialia vitare possit, omnia quoq; vitare possit. Et, *Quicunque bonus est, bonus est: Atqui, malus bonus est artifex, ergo malus artifex, bonus est. Et, Quæcunque sunt duo & tria, sunt paria & imparia, Quinque sunt duo & tria, Ergo Quinque sunt paria & imparia..* Hoc sophismate lusit, bellus scilicet Adolescens ille, studiorum suorum rationem Patri reddens Ovorum augmento, sed sapienter elusus est.

Ex Accentu, sic decipiunt sophistæ:

*Quidquid malum est, fugiendum est:*

*Pomum autem malum est,*

*Ergo pomum fugiendum est.*

Et, *Quidquid invitè fit, coactè fit:*

*Sed Vinum in vite fit,*

*Ergo coactè fit:*

Quan-

Quanquam etiam ad Compositionem hoc referri potest.

*Quemcunque æquum est pendêre, justè suspenditur.*
*Sed, Debitorem, æquum est pendere,*
*ergo Debitor justè suspenditur.*

Et, *Omnis populus est arbor,*
*Multitudo hominum, est populus,*
*Ergo, hominum multitudo est arbor.*

Hæc etiam esset Homonymia seu Æquivocatio, si *populus*, sub eodem accentu plura significaret.

Item, *Si domum abeo, recedo:*
*Sed domum habeo,*
*Ergo recedo.*

Item, *Qui fovet æquum, justam tuetur caussim,*
*Hic auriga fovet equum,*
*Ergo justam tuetur caussam.*

Item, *Qui alteri dicit, Egregiè, laudat.*
*Sed qui irridet, dicit, Egregiè,*
*Ergò, Qui irridet, laudat.*

Addit verò Aristoteles, hanc fallaciam magis habere locum in scriptura, quàm in oratione vivâ voce, pronunciatâ, quod quidam ea de caussa dixisse interpretantur, quia antiquissimi Græci, sine ullis aut spirituum aut accẽtuum notis scripserint idque doceri, vetustis etiamnum extantib. Græcis codicibus: Præterea, marmorea monumenta vetustissima, quæ Romæ visuntur, nudis solùm characteribus inciſa, absque ullis ejusmodi notis. Apud Latinos, Quantitatis habetur ratio, quæ plerũque in primis Syllabis obscura est; Unde ejusmodi Captiones ex accentu apud Latinos, sæpiùs ad Homonymiam referuntur.

Demum; ex *Figura dictionis* sumuntur Captiones, cùm dolus struitur, propter dictionis similitudinem, præsertim in

fine

fine, quemadmodum *videre & ſecare* ſimilitudinem quãdam, quoad dicendi ſeu dictionis formam habent; & quia *ſecare* eſt agere, probat Sophiſta, *Videre* quoq; eſſe agere. Sic etiã ſæpe, Quale, ſumitur ut ſubſtantia, aut contrà: aut, quod eſt in hoc prædicamento, effertur ac ſi eſſet in altero. Ex hoc genere, poteſt aliquis duci ad Soloeciſmum, ut:

*Omnis homo eſt factus ad ſimilitudinem Dei.*
*Eva eſt homo,*
*ergo Eva eſt factus ad ſimilitudinem Dei.*

*Qui docet agit:*
*Ergo & qui dolet.*

Jtem, *Quicquid heri emiſti, hodie comediſti (hoc poſſibile eſt).*
*Crudum emiſti,*
*Ergo crudum comediſti,*
*Crudum*, eſt Quale: *Quicquid* eſt ſubſtantia.

Atq; Hæ ſunt in Dictione fallaciæ, quæ quidem ſatis manifeſtè pertinent ad Elenchi ignorantiam: Quia Elenchus requirit Contradictionem unius & ejuſdem de eodem, quod non fit in Homonymia ſeu Æquivocatione, neq; in Amphibolia, neq; in Figura Dictionis, in qua ſumuntur V. G. quæ *Quale* ſignificant, ac ſi *Hoc aliquid* ſignificarent, & vice verſa. Compoſitio verò, & Diviſio, & Accentus, captionem efficiunt, eò quòd nõ eſt eadem oratio, conjuncta & diviſa, nec idem nomen ſub hoc aut illo accentu.

## *ARTICULUS IIII.*

## An etiam Captiones extra Dictionem ad Elenchi ignorantiam reducantur?

*CONCLUSIO. Hæ quoq; Captiones ad Elenchi Ignorantiam reducuntur.* Jtâ oſtendo. Prima captio extra Dictionem, eſt *ex acciden-*

*cidente*, cùm ſcilicet creditur idem ineſſe ſubjecto, quod ineſt Accidenti ſeu prædicato; ut, ſi conceſſum eſt, *Coriſcum* eſſe diverſum ab homine, colligit Sophiſta *Coriſcum* eſſe diverſum à ſeipſo, quia *Coriſco* accidit homo, ſeu Homo dicitur de *Coriſco* Et ſi conceſſum eſt, *Socratem* eſſe diverſum à *Coriſco*, colligit Sophiſta *Socratem* eſſe diverſum ab homine, quia *Coriſcus* eſt homo, & *Socrates* eſt à *Coriſco* diverſus. Jn hac captione Accidentis ſunt quaſi octo formæ ut rectè oſtendit Fons. l. 8. Jnſtit. Aut enim. Quidquid affirmatur de prædicato, creditur affirmandum de ſubjecto; ut, ſi conceſſum eſt, quòd *Homo ſit animal*, ſubjungit Sophiſta, *Animal eſt genus, ergo homo eſt genus*. Aut II quidquid negatur de prædicato, creditur negandum de ſubjecto, ut ſi conceſſum eſt, quòd *Animal non ſit ſpecies infima* addit Sophiſta, *Homo eſt animal, ergo non eſt ſpecies infima*: aut ſi *Non omne utile eſt honeſtum*, Jam *Pietas ad omnia eſt utilis, ergo non eſt honeſta.* aut III. Quicquid affirmatur de ſubjecto, creditur affirmandū de prædicato, ut, *ſi homo eſt animal, eſt q; ſpecies infima, ergo animal eſt ſpecies infima*. Aut. IV. Quidquid negatur de ſubjecto, creditur negandum de prædicato, ut, *quadrupes* negatur de homine, creditur negandum etiam de animali. Aut V. De quocunq; affirmatur prædicatum, creditur affirmandum ſubjectum, ut, *homo eſt animal, & equus eſt animal, ergo equus eſt homo*. Aut VI. De quocunq; negatur prædicatum, creditur negandum ſubjectum. Aut VII. De quocunq; affirmatur ſubjectum, creditur affirmandum prædicatum. Aut denique: De quocunq; negatur ſubjectum, creditur negandum prædicatum.

Hæc inquam ex Accidente captio, ad Elenchi ignorantiam reducitur. Nam Elenchus debet eſſe Syllogiſmus: ex Accidentis autem captione Syllogiſmus non fit; Neque enim, quicquid affirmatur de prædi cato, affirmari etiam de ſubjecto poteſt. nam prædicato multa poſſunt accidere, quæ non accidunt ſubjecto, & ita fiet Syllogiſmus ex particularibus vel Jnitis, ut,

*Homo*

*Homo eſt animal.*
*Animal eſt genus,*
*Ergo homo eſt genus.*

Nec II. quidquid negatur de prædicato, negatur de ſubjecto, fiet enim rurſum Syllogiſmus ex particularibus aut Indefinitis; ut *Animal non eſt ſpecies infima,*

*Homo eſt animal,*
*Ergo homo non eſt ſpecies infima.*

Si autem fiat ex univerſalibus, bonus quidem Syllogiſmus erit, Quidquid enim univerſim negatur de aliquo, negatur etiam de quovis contento ſub illo, ſeu de quovis eius ſubjecto, ſecundùm Dici de nullo; ſed propoſitiones non erunt ſtatim veræ, neque enim verum eſt, *Nullum Animal eſt ſpecies infima.*

Nec III. Quidquid affirmatur de ſubjecto, affirmatur de prædicato, eadem ratione, fiet enim rurſus Syllogiſmus ex Particularibus. Nec IV. quicquid negatur de ſubjecto, negatur de prædicato, ut albũ negatur de Æthiope, nõ tamẽ corpus, quod eſt prędicatũ. Nec V. De quocunq; affirmatur prędicatũ, de eo affirmatur ſubjectũ; non enim, de omni, de quo affirmatur animal, affirmatur homo, fiet enim Syllogiſmus in ſecunda figura ex duabus affirmativis.

Nec VI. De quocunque negatur prædicatũ negatur, ſubjectum. De quo tamen prædicatum negatur univerſaliter, de eo negatur ſubjectum, ut,

*Nullum animal eſt lapis,*
*Omne marmor eſt lapis.*

Jam de marmore, licet negare animal & è contrà.

Nec VII. De quocunque affirmatur ſubjectum, affirmatur prædicatum, ut,

*Album eſt homo.*
*Omnis Cygnus eſt albus,*

Non ſequitur, *Ergo omnis Cygnus eſt homo,* eſt enim Syllogiſmus

ex majore ↄ particulari in prima figura: at ſi major ſit univerſalis, bonus Syllogiſmꝰ erit. Nec denique; De quocunq; negatur ſubjectū, negatur prædicatum. Huc pertinet illud Sophiſma:

*Quod ego ſum, Tu non es:*
*At ego ſum homo,*
*Ergo tu non es homo.*

Item, *Socrates & homo non ſunt idem,*
*Socrates eſt Socrates,*
*ergo Socrates non eſt homo.*

Et, *Socrati accidit album, & coloratum,*
*ergo albo accidit coloratum.*

Et, *Socrates eſt juſtus,*
*Socrates eſt Philoſophus,*
*ergo Philoſophi ſunt juſti.*

Nimirum, non quidquid dicitur de Socrate, dicitur de Philoſopho, niſi per accidens, & in parte.

Et, *Ignis motu ſuo celerrimus eſt,*
*Ergo animus eſt ignis.*

Hæc de iſta Captione. Altera, extra dictionem fallacia eſt, quæ vocatur *ſimpliciter, & non ſimpliciter*; Cùm Sophiſta, ab eo quod eſt ſecundùm quid, ſeu alicubi, ſeu aliquando, ſeu comparatè ad hoc, argumentatur ad ſimpliciter. Et hæc etiam Captio ad Elenchi ignorantiam pertinet, non enim eſt ſimpliciter eiuſdem de eodem affirmatio & negatio. ut,

*Hector eſt homo pictus,*
*Ergo eſt homo.*

Item, *In templo mercaturam exercere nefas eſt.*
*Ergo mercaturam exercere nefas eſt.*

Et, *in Naufragio expedit merces projicere,*
*Ergo omnino expedit.*

Quæ duo ſunt ſecundùm quid ex loco & tempore.

Tertiò; Cùm *non cauſſa ut cauſſa* ponitur, ad Elenchi ignoran-

norantiam pertinet, Elenchus enim est Syllogismus, in Syllogismo aũt aliquid ex necessitate accidit ex iis, quæ posita sunt, quod non fit, si non caussa ut caussa ponitur, ut fieri potest in Syllogismis ad impossibile ducentibus, in quibus non caussa ut caussa, aliquando dicitur; nec ipsi immediatè concludunt propositum, sed ex confessione vel ex pacto, vel ex aliqua alia hypothesi. Item, *cùm petitur principium*, non est simpliciter Syllogismus, quia idem est in præmissis & in conclusione.

Quartò; Captiones ex *Consequente*, sunt pars Accidentis Nam consequens accidit, sicut ergo in Accidente peccatur cõtra Elenchum, ita & in Consequente. Est autem Captio Cõsequentis, cùm id, quod affirmatur de Consequente, Sophista vult affirmandum de Antecedente, ut de animali, quod est cõsequens hominis, affirmatur quadrupes, quod deinde Sophista vult etiam affirmandum de homine, ut etiam in prima forma accidentis captiosi dictum est. Aut de quo affirmatur Cõsequens, vult affirmari antecedens, & fit Syllogismus in secũda figura ex duabus affirmativis; ut,

*Omnis homo est animal:*
*Equus est animal*

Non sequitur, *Equus est homo.* Quale Sophisma fecit etiam Ceneus: *Accidit ut nonnulli vitiosè concludant*, ait Arist. 1. Post. T. 29 *quoniam accipiunt ea, quæ ambob. sunt consequentia, ut & Ceneus facit, concludens; Ignem generari multiplici proportione, quia & ignis celeriter generatur, & hæc proportio celeriter fit, sic autem non est Syllogismus.* Hæc ille. Fecerat ergo Ceneus Syllogismum in secunda figura ex duabus affirmativis: *Multiplex proportio celeriter fit, & Ignis celeriter fit seu generatur, Ergo Ignis est quædam multiplex proportio.* Fit etiam captio ex Consequenti, cùm quis ex Consequenti probat antecedens, quod frequens est in sensuum deceptionibus: Quia enim melli consequens est flavus color, sæpè fel pro melle accipimus, putantes ex flavo colore consequi mel.

Oratoriæ quoque demonſtrationes, quæ à ſigno accipiuntur, ex conſequentibus ſunt: nam volentes oſtendere, *Adulterum eſſe*, conſequens ſumunt, *accuratiùs comptum eſſe*, multis autem hoc ineſt, quibus prædicatum non ineſt. Hoc captionis genere peccavit Meliſſus, probans, Univerſum eſſe infinitum: *Quod genitum eſt*, ait, *principium habet: Si ergo Univerſum non eſt genitum, principium non habet, proinde eſt Infinitum.* Verùm; hoc non ſequitur, Non enim licet ab oppoſito Antecedentis argumentari ad oppoſitum Conſequentis, ſed tantùm ab oppoſito Cõſequentis ad oppoſitum antecedentis ut, *ſi homo eſt, animal eſt:* ex quo non rectè colligitur;

*Si homo non eſt, animal non eſt*, ſed potiùs, *ſi animal non eſt, homo non eſt.*

Sunt ergo hujus fallaciæ tres modi: unus à deſtructione antecedentis, ad deſtructionem conſequentis'. Secundùs, A poſitione Conſequentis, ad poſitionem ſeu affirmationem antecedentis. Tertius, ab affirmatione eiuſdem Conſequentis', ad affirmationem plurium inter ſe.

Tandem; Captio plurium interrogationum quaſi unius, etiam ad Elenchi ignorantiam, reducitur, quia de pluribus cõcedere vel negare, non eſt de eodem concedere vel negare. Itaq; *omnes modi, cadunt in Elenchi ignorantiam*, ait Ariſt. 1. Elench. c. 5. *Illi quidem, qui in dictione conſiſtunt, quia videtur Contradictio, & tamen non eſt: reliqui autem propter Syllogiſmi definitionem.* Quaſi diceret, In deceptione Sophiſtica, aut non concluditur verè cõtradictorium, aut omnino non legitimè concluditur.

Ob quam verò cauſſam in ſingulis, decipiamur, ratio in promptu, partim enim, quia non novimus diſtinguere Aequivoca, aut conjuncta & diviſa, aut hoc aliquid & quale, putantes, quidquid alicui attribuitur, eſſe hoc aliquid: partim, quia non poſſumus dijudicare, an ſit idem vel diverſum, unum an multa, aut ex quibusnam fiat Syllogiſmus.

ARTI-

## *ARTICULUS V.*

# Quomodo sint solvenda Sophismata?

QUomodo Sophistæ operā dent, ut cogant dicere Falsum, vel Paradoxum, vel, ut quis Solœcismum aut nugationem committat, multa dicere non est opus, Tum quia, faciliùs ista Respondens cavere potest; Tum quia, potiùs in proponendo consistunt,

Huc faciunt, Prætermittere certum Problema; Multa interrogare; simulare, se discendi caussâ proponere; Transferre disputationem ad id, ubi quis abundat argumentis; sumere dicta sapientum, populari seusui repugnantia, aut ea, de quibus aliter loquimur, ac facimus, Nomen aliquod interpretari; & prolixâ oratione uti, Celeriter multa proponere; Irasci in disputando, aut efficere iratum: (Nam perturbati, minùs possunt omnia observare,) Ordinem propositionum permutare, Uti aliqua propositione tanquam concessâ, & ut Elencho aliquis convictus videatur, vehementer ac sæpè facit impostura illa, maximè Sophistica, cùm, qui nihil Syllogisticè proposuerunt, concludendo dicunt, *Ergo* &c.

His & similibus sæpè obtinet interrogans concedi falsum, aut Inopinabile, seu Paradoxum, aut quasi factus sit Elenchus; Sed facilè occurret *Respondens*, si non permittat interroganti Extranea, & reprehendat vel celeritatem, vel multitudinem, vel cõtendendi libidinem, vel sumentem aliquid non concessum. Nunc de solutione Sophismatum, quæ suprà ad Elenchi ignorantiam reduximus.

CON-

CONCLUSIO. *Sophismata in dictione posita, solvuntur distinctione; Quæ verò extra Dictionem, Negatione Consequentiæ.* Ita explico. Jam suprà ostendimus, aliud esse, solvere; aliud Impedire. Qui solvit, vitium argumentationis ostendit, & caussam indicat. Et solutionum quidem alia est vera, alia probabilis. Non est verò semper utendum, præsertim adversus Litigiosos, solutione vera, sed probabili, id quod etiam in scriptis eruditissimorum, præsertim S. Thomæ animadvertere est. Hic cum ad argumenta respondet, non semper ea solvit ex suis principiis, aut conclusionibus à se confirmatis, sed contentus est infirmitatem argumenti ostendere, solvendo ex aliqua opinione probabili: idque sapientissimè. Neque enim, cùm argumentis respondemus, tam attendere debemus, quid revera sit, quàm quid probabile videatur. Plerumque enim, si ex opinione tua verâ solvas, videberis argumentanti minimè satisfacere, aut etiam auditoribus vel lectoribus, qui tuam opinionem vel pro falsa, vel pro dubia habent.

Deinde; si semper vera solutio danda esset, longam sæpè disputationem necesse foret instituere, quò interrogans seu Argumentans solutionem vel caperet, vel eidem acquiesceret. III. accidit non rarò veram solutionem dependere ex aliquibus, quę ad aliam disciplinam pertinent, vel certè in alio loco eiusdem scientiæ tractanda sunt, ut contingit, Theologis de Prædestinatione disputantibus, & sæpe à prima parte ad primam secundæ transvolantibus, &c. & nostris Logicis, qui dum nimio plus ipsarum rerum veritatem indagant, propriam suã artem demoliuntur, eamq; mirâ Metamorphosi in Metaphysicam transformant.

Hinc est, quòd multi, hæc non observantes, frequẽter sed imperitè existimant, S. Thomam aut similes eruditissimos viros contraria vel contradictoria docuisse.

Jam igitur, quando Sophista vel ex æquivoco, vel ex amphi-

amphibolia, vel ex compoſitione aut diviſione, fallere vult, diſtinguere oportet, non quòd reipſa ſit Elenchus, in quo eſt æquivocatio, vel ſimile quid, ſed quia, niſi initiò diſtinxeris, etiamſi in fine dicas, te non fuiſſe redargutum propter æquivocationem, dubitabunt tamen auditores, an in principio prævideris. Quare, cùm ſit diſtinguere conceſſum, non eſt cunctandum. Quoniam verò, recta ſolutio eſt patefactio falſi Syllogiſmi, falſus autem Syllogiſmus dicitur bifariam, vel quia concludit falsũ, vel quia videtur Syllogiſmus cũ non ſit; qui concludunt quidem, ſed falſum, ſolvũtur negando aliquã propoſitionem, ex qua efficitur falſum, Reliqui verò ſolvũtur negatione Conſequentiæ.

Porrò; ut in particulari dicamus ad exempla Sophiſmatum, quæ ſuprà allata ſunt, *Edere*, eſt æquivocum, imò & alium & alium accentum habet. Ita & *Sedens*, æquivocum eſt, ſignificans tempus præſens & præteritum imperfectum. Quæ certè ſolutio, longè facilior & planior eſt, quàm quæ petitur ſive ex *Ampliatione*, ſive *ex Diſtractione*, quæ ſpineta, ut ita dicam, poſteriores Logici confinxerũt, & tot documentis onerarunt, ut neſcias quid doceant.

Ad illud, quod ſumebatur ex Amphibolia, dicitur, *Littus arare*, *aërem verberare*, ſunt orationes multiplicis ſenſûs. Item in eo, *Quod quis videt, hoc videt*, illud *hoc* poteſt eſſe nominativi & accuſativi caſûs.

Compoſita quoque & diviſa oratio ſæpè habet diverſam ſignificationem, ut ſedentem ſtare, cùm ſedet. Nec pertinet Sophiſma Compoſitionis ad Sophiſma Amphiboliæ, quia in Compoſitione & Diviſione, non manet eadem oratio. Ad illud, *Quo vidiſti percuſſum, percuſſus eſt*, intereſt an illud *Quo*, referas ad *vidiſti*, an ad *percuſſum*. Ita hîc, *Quidquid vivit ſemper eſt*, nam *ſemper* vel ad *vivit*, vel ad *eſt* refertur. Item, Quæcunque ſunt duo & tria conjunctim ſumpta, non ſunt paria & imparia.

In Captionibus ex Accentu, *Malum*, habet in prima, modò gravem, modò circumflexum. Sic etiam, *pendêre*, & *pendere*, in penultima; & *Populus* in prima. *Abeo* & *Habeo*, aſpiratione differunt; *Equum* & *æquum*, diphthongo.

Similitudo quoque ſeu Figura Dictionis, facit, ut ad eandem Categoriam, vel ad idem Genus pertinere videantur, quæ ſimiliter efferuntur, ut *Audire* & *Ferire*, *Secare* & *videre*.

Huc etiam ſpectant hæc & ſimilia: *Accidit ne ſimul idem facere & feciſſe?* ſi negas: pergit Sophiſta, *ſed accidit idem ſimul videre & vidiſſe, ergo accidit, idem ſimul facere & feciſſe.* Accipit Sophiſta, *videre & vidiſſe* propter dictionis ſimilitudinem, acſi *videre & vidiſſe*, ſint *facere* & *feciſſe*, cùm *videre* ſit potiùs quoddam *pati*, ex ſecunda de Anima.

Item; *Quod quis non habet, cùm prius haberet, amiſit*:

*Sed decem florenos jam non habes, cùm priùs haberes,*

*Ergo decem amiſiſti, cùm fortè tantùm unum amiſeris.*

eſt Sophiſma ex figura dictionis: In Majore eſt Sermo de *Subſtantia*, in Minore, de *numero*.

Item; *Quod quis non habet, dare non poteſt.*

*Decem florenos, non citò habes, (quamvis habeas)*

*Ergo citò dare non potes.*

In Majore eſt *Subſtantia*, in Minore *Modus*, ſeu qualitas quędam, vel *tempus*,

Nam, *habere citò*, ad tempus pertinet.

Jtem; *Nonne, quod quis perambulat, calcat?*

*Sed per ambulas totum diem,*

*Ergo diem calcas.*

Sophiſta transgreſſus eſt à *Subſtantia* vel *loco* ad *tempus*, nam perambulare totũ diem, non ſignificat locum, ſed tempus. Neq; cùm *Calicem bibit*, dicimus, ſignificamus rem, quam bibit, ſed ex quo bibit: iſtud tamen poteſt aliquo modo, ad Homonymiam referri, *Calix* enim pro contento per Tropum accipi poteſt.

Porrò;

Porrò; Quidquid commune ac universale est, non Hoc aliquid, sed Quantum vel Quale, vel ad aliquid, vel simile quid significat.

## *ARTICULUS VI.*

## Quomodo sint Accidentis & Consequentis solvenda Sophismata?

*CONCLUSIO. Hæc solvenda sunt, negatione consequentiæ.* Non enim, Quicquid uni accidit, alteri accidit consequentiæ necessitate, nec si hoc sequitur ex illo, statim B. sequitur ex C. nec si affirmationem sequitur affirmatio, ut ex homine animal, mox Negationem negatio sequitur, ex non homine, non animal. Si autem aliquid alteri universaliter inest, ut *animal* omni homini, tum etiam inest cuivis contento sub illo, ut *animal* cuilibet singularium hominum. Et, *si ex antecedente, sequitur Consequens, tum etiam ex negatione Consequentis, sequitur negatio Antecedentis*, ut si ex Homine animal, tum ex Nonhomine non-animal.

Hac in re, prodest exemplum habere in promptu, quod contra Sophistæ argumentationem proferatur, in quo non sequatur in simili argumentatione, Consequens. Et, quamvis ei, qui præcepta Syllogismi calleat, difficile non sit negare Consequentiam, quia tamen, propter Sophistarum importunitatem, propria sæpè solutio danda est, adlaborare debet respondens, ut vitium simili argumentatione, ostendat, & dicat, v.g. non sequi, ex *Positione* Consequentis, *positionem* Antecedentis, Neque ex *negatione* Antecedentis, *negationem* Consequentis. Item,

tis. Item, non ſtatim, ſi aliqua ſint *Accidente* idem, *omnino* eſſe idem. Unde, ſi *Coriſcum* novi, & *Coriſcus* eſt veniens, non ideo venientem cognoſco, Nec ſi novi, Binarium eſſe parem, & iſte eſt binarius, ſtatim novi hunc eſſe numerum parem, ſed tantùm novi univerſali cognitione.

Rurſus;

*Qui te ait eſſe animal, verum dicit:*
*Sed qui te ait eſſe bouem, ait te eſſe animal,*
*Ergo qui te ait eſſe bovem, verum dicit.*

Perinde eſt, ac ſi ita diceretur,

*Si es bos, es animal:*
*Sed es animal,*
*Ergo es bos. vel,*
*Omnis bos eſt animal,*
*Tu es animal,*
*Ergo es bos.*

Nimirum, ex affirmatione Conſequentis, non ſequitur affirmatio Antecedẽtis; nec, ſi *animal* accidit homini & bovi, mox homo eſt bos.

Igitur, *Qui ait te eſſe animal*, non neceſſariò verum dicit, ſi fortè ex falſa hypotheſi te dicat animal, ut in propoſito *Si es bos*, potes dici *animal*, non autem ſimpliciter & omni ex parte verum dicit neque enim es bos. *Et te eſſe animal*, verum eſt per ſe, at per accidens, poteſt eſſe falſum, non quòd aliquando non ſis animal, ſed quia non omne ex quo ſequitur te eſſe animal, verum eſt.

Item; *Socrati*, qui eſt albus, accidit coloratum. *Socrates* enim accidit albo, non autem quod accidit Socrati, ſtatim accidit colorato, & fit Syllogiſmus malus, fortè ex pluribus terminis quàm tribus.



Ex his

Ex his igitur manifestum est, quòd Sophisma ex accidente & Consequente tandem negatione Consequentiæ elidatur. Sed quia in solutione, causſa fallaciæ & apparentiæ indicanda est, necesse est, ut Respondens adjungat, causſam fallendi & apparendi, omne etenim Sophisma decipit ex quadam apparentia; Causſa igitur apparentiæ in Sophismate ex Accidente est, quia accidens & id, cui Accidit, sunt quodammodo idem, ac proinde quod de uno dicitur vel negatur, videtur etiam de altero dicendum vel negandum.

Similiter in Sophismate ex Consequente, causſa apparētiæ est, quia si unum sequitur, videtur etiã prius sequi ex posterio re, ut si sequitur, *mel est, ergo flavum est*, videtur etiã sequi, *flavum est, ergo mel est*. Et, si ex affirmatione sequitur affirmatio, ut, *Bos est, ergo animal est*; videtur etiam eodem jure, ex negatione sequi negatio, ut, *Bos non est, ergo animal non est*. Dissolvens igitur, hanc quoque apparentiam diluere debet; Logico satis est negare Consequentiam, quia tamen Sophista sumit apparentia, is, qui Sophistæ respondet, apparentiam quoque diffiare debet, eo modo, quo dictum est.

Quòd si tantùm neges Consequentiam, videbitur nihilominus Sophista, quamdiu manet apparentia, benè concluſisse.

## ARTICULUS VII.

## Quomodo solvenda sint Sophismata, ex simpliciter & non simpliciter?

CONCLUSIO. *Hæc dissolvuntur, negando Elenchum*. Explico. Elenchus contradictorium Thesis concludit, sed si alterum est simpliciter, alterum secundùm quid, non est vera

Contradictio, unde Sophistæ occurendum est, non redarguisse, quia Elenchum non fecerit. In hoc igitur Sophismate causſa apparentiæ est, quia sæpe pro eodem habetur, simpliciter & secundùm quid tale esse; ut in exemplis suprà allatis, *Mercaturam exercere, & in templo exercere; In naufragio merces projicere & absolutè projicere.* Rogat Sophista, *Potestne fieri, ut idem simul sanctè juret & pejeret?* si negas, ita pergit Sopista: *Jurat quis, se pejeraturum, & postea pejerat, hic sanctè jurat, & pejerat.* At occurres, sanctè jurare *secundùm quid, simpliciter* verò pejerare. Ita etiam fieri potest, ut idem mētiatur & *verum dicat secundùm quid, ut, qui dicit se mentiri dicendo, Hominem esse animal;* hic verum dicit, cùm enim Homo sit animal, verum non est quòd mētiatur, dicens, Hominem esse animal: & sic per accidens mentitur, dicit enim se mentiri, cùm non mentiatur. Atque hinc solvuntur, illa, quæ dicuntur Insolubilia, sive ab Arist. sese interimentia. Sumamus primùm illud Arcesilæ, novæ Academiæ fundatoris, *Nihil sciri potest.* Hoc si verum est, falsum est, si enim, Nihil sciri potest, tum hoc sciri potest. Eleganter hæc prosequitur Lact. t. 3. de falsa sapientia, c. 5. *Arcesilas non rectè fundavit suam disciplinam: Ignoratio enim omnium rerum, non potest esse sapientia, cujus est scire proprium. Ita, cùm Philosophos expugnaverit, ac docuerit, eos nihil scire; ipse quoq; nomen Philosophi perdidit, quia doctrina ejus est, Nihil sciri. Nam qui alios reprehendit, quòd nesciat, ipse debet sciens esse, Cùm autem nihil sciat, quæ perversitas, quæve insolentia est, ob idipsum se Philosophum constituere, propter quod cæteros tollat? Possunt enim sic respondere: Si nihil nos scire conviceris, & ideo non esse sapientes, quia nihil sciamus, ergo ne tu quidem est sapiens, qui te quoq; confiteris, Nihil scire. Quid ergo promovit Arcesilas, nisi quòd confectis omnibus Philosophis, se ipsum quoq; eodem mucrone transfixit?* Et ca. 6. *Ut nihil sciendum sit, aliquid sciri necesse est. Nam si omnino nihil scias, idipsum, Nihil sciri posse, tolletur. Itaq; qui velut sententiæ loco pronunciat, Nihil sciri, tanquam perceptum profitetur, & cognitum, ergo*

*aliquid*

*aliquid ſciri poteſt, Huic ſimile eſt illud, quod in ſcholis proponi ſolet in Aſyſtati generis exemplum, Somniâſſe quendam, ne ſomniis crederet. Si enim crediderit, tum ſequitur, ut credendum non ſit, ſi autem non crediderit, tunc ſequitur, ut credendū ſit. Ita ſi nihil ſciri poteſt, neceſſe idipſum ſciri, quòd nihil ſciatur, ſi aūt ſcitur Nihil ſciri poſſe, falsū eſt igitur, quod dicitur, Nihil ſciri poſſe. Sic inducitur dogma ſibi ipſi repugnās, ſeq; diſſolvens.* Hæc ille. Itaque, Nihil ſciri poſſe, verum ſimul eſt & falſum, verum ſecundùm quid & ex opinione Academicorum, falſum autem ſimpliciter. Et rurſus, ex opinione Academicorum, verum eſt ſimpliciter, Nihil ſciri poſſe; falſum autem ſecundùm quid.

Sic etiam, ſimpliciter verum eſt, *ſomniis credendum non eſſe*, verum autem ſecundùm quid, quia hoc ipſum, *Somniis non eſſe credendum*, ſomniare quis poteſt; maximè quia Somnium de non credendo ſomniis, eſt de re vera, etiam extra ſomnium. Similiter, Epimenides Cretenſis dixit, *Cretenſes eſſe mendaces ſeu mentiri*, verum dixit ſimpliciter, ſecundùm quid, falſum, ipſe enim Cretenſis aliquod verum dixit. Sed accidit huic, *Cretenſes eſſe mendaces*, dici ab Epimenide Cretenſi.

Ita etiam, *qui dicit ſe mentiri, cùm nihil aliud dicit, mentitur ne?* Per ſe & ſimpliciter non mentitur, verum enim diceret, ſi diceret, *Ego non mentior*, ergo falſum dicit, *Ego mentior*, mox autem per accidens, mentitur, quia falſum dicere, hoc loco eſt mentiri. Et rurſus; ſimpliciter, id eſt, omnibus conſideratis, mentitur, quia falſum dicit dicendo ſe mentiri, cùm non mentiatur, *neq; enim dicere ſe mentiri, per ſe eſt mentiri*, ſicut nec dicere, ſe dicere verum, ſtatim eſt verum dicere; nam utrum quis verum dicat, uſitatè non æſtimamus ex verbis ſolis, quibus dicit ſe dicere verum, ſed ex iis, de quibus dicit, ſe verum dicere. Ita etiam, mendacium uſitatè non æſtimamus ex verbis ſolis, quibus aliquis dicit ſe mentiri. Si autem intelligat de his ipſis verbis, *Ego mentior*, tum ex conſequenti mentitur.

Ciruu

Circumferuntur alia quoq́; , quæ ſeipſa quodammodo diſſolvunt ſeu potiùs interimunt ac vera & falſa ſimul videntur, ut *ſi Crocodilus raptum filium, ſe redditurum dicat, ſi Mater verũ dicat, illa autem dicente, Non reddes, debet ne reddere Crocodilus? & mater verum ne dixit?*

Reſpondetur, Cùm dicimus, aliquem quidpiam non facturum, aut animum conſideramus, aut evẽtum: Si animum, verũ dixit Mater, *Non reddes*; neq́; enim Crocodilo erat reddendi animus, ſaltem non admodum ſerius, & ſic reddere debet. Si eventum, cùm ſit de futuro contingenti, non potuit Mater determinatè verum dicere, & ſic fruſtra Crocodilus conditionem veri dicendi appoſuit. Quare luſit potiùs quàm promiſit. Porrò; veteres hanc captionem propter Crocodili mentionem, *Crocodiliten* appellant. Nec verò Crocodilus Matrem potuit accuſare, quaſi verum non dixiſſet, eò quòd ipſe redderet fortaſſe: erit enim tantùm falſum ſecundùm quid. Solutiones demum aliarum Captionum, facilè ex dictis ſuppetunt.

Quia verò frequentiora Sophiſmata fiunt ex æquivocatione, vel omiſſione alicujus, quod ad Elenchum pertinet, Diſtinguendi facultatem habere oportet, ſic tamen ut diſtinctio ſit neceſſaria, & ad rẽ & probabilis, alioqui erit ridicula & puerilis. Sunt enim quædam diſtinctiones, quę vel probabiles non ſunt, vel certè, ſi dantur, longam diſputationẽ habent, utrum rei propoſitæ conveniant, ac proinde non ſolvunt argumentum, ſed remorantur, & qui eas adhibent, ludere videntur. Nec fortaſſe operæ prætium eſt, ejuſmodi diſtinctionum indicem contexere: eas enim cùm ediſcũt Adoleſcentes, ſine delectu & judicio effundunt.

Ne tamen omnino prætereamus, prima eſt, quæ dicitur *Realis* & *rationis*, qua longè clarior eſt illa, *ſimpliciter* & *ſecundùm quid*. Addo & probabilior; cùm adhuc diſputetur, quid

ſit rea-

sit realiter distingui. II. *Realiter* & *Modaliter*: At hæc est incertissima, certè nobis nulli videntur esse Modi, de quo alibi. III. *Essentialiter* & *Accidentaliter*: sed longè clariùs, universaliùs & probabiliùs dicemus, *per se*, & *per accidens*. IV. *Identicè* & *formaliter*; longè meliùs, *Re* & *ratione*. V. *Essentialiter* & *Integraliter*; tantùm habet locum in iis, quæ habent partes, aut quãdo significatur perfectio, & tum integraliter perfectum, est omni ex parte seu simpliciter perfectum. VI. *Specificativè & reduplicativè*. Meliùs, clariùs, probabiliùs & universaliùs dicitur, *In sensu composito & diviso*: Item, *per se*, & *per accidens*, quod enim *specificativè* est tale, quasi *per accidens* est tale, loquendo Analyticè, ut *Socratem* ajunt *esse crispum*, *specificativè*, quia secundùm capillos sit crispus, quòd est, *per accidens*: nam omne quod non est tale quatenus ipsum, per accidẽs est tale, præsertim cùm Analyticè & demonstrativè loquimur.

VII. *Virtualiter* & *formaliter*, valet in caussis, & quibusdam aliis, meliùs forte dicitur *Potestate & actu*.

VIII. *Absolutè* & *Respectivè* universim probabiliùs dicitur *Smpliciter & secundum quid*, *seu per se*, *& per accidens*.

IX. *Extensivè* & *Intensivè*, est distinctio particularis, & in paucis valet.

X. *Moraliter* & *Physicè*, est itidem particularis, & posset quis eadem ratione secundùm quamcumq; artem loqui, ut *Arithmeticè* & *Geometricè*. Sunt hujusmodi distinctiones particulares & valent tantùm in scientiis particularibus.

XI. *Latè* & *Strictè* est in multis difficultatibus effugium: quid enim est, quod hac distinctione solvere non facilè possis? Quin hæc distinctio latenter inconstantiam introducit, ut si semel assuescas, penè ubique, cùm aliquid discendum est, hoc *latè* & *strictè* succurrat, & sciendi aviditatem retundat.

XII. *Materialiter* & *formaliter*: *Formaliter* & *fundamentaliter*: in certo genere valet, nec sine magno delectu: Unde facilè



Bayerische Staatsbibliothek München

eſt, riſui ſemet exponere, ſi non cum judicio adhibeatur; & quidlibet ſic diſtinguere liceret. Probabiliùs eſt dicere, *ſimpliciter & ſecundùm quid*, ſeu *Per ſe*, & *per accidens*, ſeu *Re* & *ratione*.

Demùm; ut huc, *Suppoſitionum, Statûs, Ampliationis, Reſtrictionis, Diſtractionis, Remotionis* & ſimilium documẽta congeramus, tantam ego neceſſitatem non video, cùm pleraque ſint horrida, à Chryſippeis & Nominalibus potiùs quàm à Peripateticis excogitata, & ſæpè communem loquendi conſuetudinem invertentia, ut nihil dicam, non rarò falſa, ut alii ante nos demonſtrarunt, & ingenium non tam ad robur, quàm ad argutias exercentia. Quid quòd ferè nihil eſt, quod non & uſitatiùs & probabiliùs, & intelligentiùs ex præceptis hactenus cum Ariſtotele traditis, explicetur & ſolvatur. His ita expoſitis fidem noſtram liberâſſe videmur. *Lectoris æquanimitatem ſi conſequimur* (libet enim cum Rodolpho Agric. in ſimili ſcriptionis genere perorare) *boni conſultum erit: ſi minùs, voluimus tamen, conatumq; præſtitimus; qui, ſicut pleriſq; in rebus, vel ſolus laudi ſufficit, ita mihi cum non arroganter, ad veniam ſperaverim ſuffectu-*
*rum.*

*Benedictus DEUS; Benedicta, in Mulieribus BENEDICTA; Benedictus, Monachorum Pater*
*BENEDICTUS.*

# INDEX COMMENTATIONUM ET ARTICULORUM.


Commentatio Proœmialis. pag. 1

*Art. I. An Dialectica habeat Materiam, an Objectum seu Subjectum?* pag. 3

*Articulus II. An Dialectica sit Ars, an Facultas?* pag. 5.

Caput Primum.

*De Syllogismo Dialectico.* pag. 7.

Commentatio I.

*De Materia Syllogismi Dialectici.* pag. 8

*Art. I. De quibus sit Syllogismus Dialecticus?* pag. 9.

*Art. II. An non sint plura Genera problematum Dialecticorum?* pag. 10.

*Art. III. An non sint pauciora Problemata Dialectica?* pag. 13.

Commentatio II.

*De paranda Propositionum copia universim.* pag. 14.

*Art. I. Unde & quomodo sumenda sunt Propositiones?* pag. 15.

*Art. II. Unde intelligatur, aliquid multis specie modis dici?* 18

*Art. III. An ad copiam Propositionum & ratiocinationum, faciat similitudinum & differentiarum inventio?* p. 22.

Caput Secundum.

*De confirmandi & refutandi Locis.* p. 24.

Commentatio I.

*De Problemate Accidentis.* ibid.

*Art. I. An sint aliqui Loci Argumentorum?* p. 25.

*Art. II. An sint aliqui universales Loci, cuivis Problemati utiles?* p. 28.

*Art. III. Qui Loci valeant ad refutandum & confirmandum Accidens?* 31

*Art. IV. Qui sint Loci Accidentis comparati?* 39

Commentatio II.

*De Locis Generis.* 41

*Art. I. Qui sint Loci ad refutandum Genus, ex ipsa natura Generis, & ex eo, cujus Genus quæritur?* ibid.

*Art. II. Qui sint Loci Generis confirmandi, ex iis, qui suprà in Accidente, tanquam generales positi sunt?* 43

Commentatio III.


De Lo-

*De Locis Proprii & Definitionis,* 44.
*Art. I. Qui sunt Loci ꝓprii & Definitionis, an benè & rectè sint posita?* 45
*Art. II. Quinam sint Loci, ex quibus simpliciter refutatur vel confirmatur Proprium aut Definitio?* 49.
*Art. III. Qui Loci ex Generalibus serviant Proprio & Definitioni?* 54

## Caput III.

*De ipsa Disputandi ratione.* 56

## Commentatio I.

*De Interrogatione.* 57
*Art. I. Quas oportet Interrogantem sumere Propositiones?* 58
*Art. II. Quomodo Exceptiones, seu Instantiæ sint repellendæ?*
*Art. III. Quæ Theses facilè, quæ difficulter evertantur?* 62

## Commentatio II.

*De Responsione.*
*Art. I. Quæ sint concedenda, quæ neganda?* 64
*Art. II. Quomodo sit solvenda Argumentatio?* 69
*Art. III. Quomodo sit reprehendenda Argumentatio?* 71

## Commentatio vltima.

*De Elenchis.* 73
*Art. I. Quæ universim observanda contra Sophistas?* 74
*Art. II. An melius sit, falsum revocare, an in defendendo persistere?* 75
*Art. III. Quinam sint Loci redarguendi?* 76
*Art IV. An etiam Captiones extra Dictionem, ad Elenchi ignorantiam reducantur?* 81
*Art. V. Quomodo sint solvenda Sophismata?* 87
*Art. VI. Quomodo sint Accidentis & Consequentis solvenda Sophismata?* 91
*Art. VII. Quomodo solvenda sint Sophismata, ex simpliciter & non simpliciter?* 93

*FINIS.*

*De Locis Proprii & Definitionis,* 44.
*Art. I. Qui sunt Loci ꝓprii & Definitionis, an benè & rectè sint posita?* 45
*Art. II. Quinam sint Loci, ex quibus simpliciter refutatur vel confirmatur Proprium aut Definitio?* 49.
*Art. III. Qui Loci ex Generalibus serviant Proprio & Definitioni?* 54

## Caput III.

*De ipsa Disputandi ratione.* 56

## Commentatio I.

*De Interrogatione.* 57
*Art. I. Quas oportet Interrogantem sumere Propositiones?* 58
*Art. II. Quomodo Exceptiones, seu Instantiæ sint repellendæ?*
*Art. III. Quæ Theses facilè, quæ difficulter evertantur?* 62

## Commentatio II.

*De Responsione.*
*Art. I. Quæ sint concedenda, quæ neganda?* 64
*Art. II. Quomodo sit solvenda Argumentatio?* 69
*Art. III. Quomodo sit reprehendenda Argumentatio?* 71

## Commentatio vltima.

*De Elenchis.* 73
*Art. I. Quæ universim observanda contra Sophistas?* 74
*Art. II. An melius sit, falsum revocare, an in defendendo persistere?* 75
*Art. III. Quinam sint Loci redarguendi?* 76
*Art IV. An etiam Captiones extra Dictionem, ad Elenchi ignorantiam reducantur?* 81
*Art. V. Quomodo sint solvenda Sophismata?* 87
*Art. VI. Quomodo sint Accidentis & Consequentis solvenda Sophismata?* 91
*Art. VII. Quomodo solvenda sint Sophismata, ex simpliciter & non simpliciter?* 93

*FINIS.*

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Weiss, Matthaeus

Dialectica sive ars quavis re disserendi ex Topicis et Elenchis concinnata

Salisburgum 1628

4 A.gr.b. 212 m
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10215556-3
VD17 12:631562R